ATERIA PLATONICA, QUAM FERE VOCANT, MELETEMATA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOSOPHICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XVIII. M. FEBRUARII A. MDCCCLXIV
HORA X
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FELIX BOBERTAG,
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:
PH. BLOCH, STUD. PHIL.
P. BOEHMER, SEM. REG. THEOL. EV. SOD.
A. PISCHEL, STUD. THEOL. CATH.

VRATISLAVIAE.
TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

CAROLO BOBERTAG

VERBI DIVINI MINISTRO

PATRI OPTIMO DILECTISSIMO

HOC OPUSCULUM SACRUM ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Prooemium.

Nostris temporibus si quis operam det rebus metaphysicis ideasque dei, naturae, mentis humanae cogitatione penetrare ac certis notionibus definire studeat, rem vix scientifice perfecteque expediat, nisi, quantum ad aequalium sententias de ejusmodi rebus conformandas excolendasque fecerint ea, quae ab iis, quos „materialistas" vulgo vocant, docentur et mirum quantum jam percrebruerunt, agnoscat. Ad quae recte intelligenda materiae notio non solum statuenda est, sed etiam, si quidem quis — id quod plerumque non fieri dolendum est — rem funditus dijudicare velit, duplex quaestio est instituenda, historica et philosophica. Philosophicam eam dico, qua, quae sit origo talis in ratione humana notionis, sive quae sit conditio, sine qua non existat materiae idea, historicam vero, qua, quando primum, a quo, quomodo, quibusque de causis ejusmodi idea procreata sit, quaeritur.

In materiae autem notione, quantumcunque de hac re virorum doctorum inter se sententiae discrepant, id semper invenitur, ut oppositum aliquid ac contrarium ponatur menti cogitanti. Quare patet, eam notionem nisi discrimine posito inter naturam mentis et ejus, quod est extra mentem seu non-mens, non enasci posse in cogitatione humana. Hoc autem discrimen primum Anaxagoram intellexisse jam inde a pueris audivimus.

Quamquam — nam, quare res ita se habeat accuratius exponere neque expedit neque opus est quidem — neminem arbitror dubitaturum, quin non apud Anaxagoram sed apud Platonem primum ejusmodi aliquid, quod satis *ἀνάλογον* sit materiae, quam nos dicimus, reperiri possit. Quare neque a meis temporibus alienum neque inutile ad me imbuendum philosophia ratus sum facere, si de Platonis materia quam possem diligentissime disquirerem.

Quod ut facerem non minime eo etiam adductus sum, quod Platonem non solum dignum esse, qui summis adnumeretur philosophis, sed etiam aptissimum, qui tironi primus ac praecipuus in philosophiae adyta sit dux et comes, cum ab aliis et iis quidem doctissimis viris saepenumero audiverim legerimque tum et ipse mirifice sum expertus.

Id autem inde esse repetendum omnes consentiunt, quod Plato, quaecunque insunt legentibus animi vires, pariter ad agendum incitet, nec per libros iter facturum, ut alii solent philosophi, rationem solam per res arduas comitem adsciscere, imaginandi vero vim, pulchrarum sublimiumque rerum studium, alia, domi relinquere cogat. Neque vero quisquam, quibus artibus Plato haec, quae modo dixi, efficiat, nescit: dicendi dico genus, dialogi formam, fabulas saepe florum instar rebus metaphysicis admixtas, facete multa et jocose dicta. Sed his eisdem rebus, quibus, qui legunt adolescentes, delectantur, saepe dolet interpres. Fit enim saepissime, ut, cum veras et, ut ita dicam, absolute philosophicas Platonis sententias eruere volumus, quid sit imago, quid res ipsa, quid exemplum, quid id, cujus sit exemplum, non recte dignoscere possimus. Quo factum est, ut et de methodo, qua utendum sit in Platone interpretando et de ejus sententiis ipsis vehementer inter se viri docti discrepent. Quod cum in aliis tum praeter cetera accidit in eo, quod equidem quaerere proposui, scilicet in iis Platonis philosophumenis, quae vulgo de materia esse dicunt.

Quid vero? Nonne non imprudenter tantum, sed etiam arroganter agam, si rem dijudicare conabor, de qua valde inter se dissentiunt — ne plures afferam — Schleiermacheri, Hermanni, Boeckhii, Brandisii, ac ne inter veteres quidem una est sententia?

Confiteor, me in magna haec respicientem fuisse dubitatione, sed cum rem difficilem et obscuram mecum ipso diligenter reputando studiisque ad eam illustrandam incumbendo nonnulla, quae mihi lucis aliquantulum certe rei afferre posse visa sint, invenerim cumque virorum doctorum sententias inter se conciliare ac viam inter duas extremas partes ingredi mediam magis, quam judex existere in animo sit, quae de problemate sentiam, non plane indigna ratus sum, de quibus conscribam dissertatiunculam.

Sed antequam ad rem ipsam accedam, sunt quaedam, quae, ut ita dicam, ambitum ejus, quam proposui, rei spectant, exponenda. Nam quae de materia Platonis scimus, partim e Platonis, partim ex aliorum veterum libris, imprimis autem ex Aristotele ejusque commentatoribus repetuntur. Quae vero ab aliis de hac Platonis sententia dicta videntur, si conferimus et accurate spectamus, partim ad Platonem ipsum, partim ad ejus discipulos, qui veteris Academiae nomine designantur, referenda esse apparet. Rursus autem locos, quibus aperte, quid Plato ipse dixerit, narratur, explorato, utrum iis credendum sit, necne, dividi oportet. Alias enim, quid in libris, alias, quid in scholis docuerit, refertur. Quae cum non prorsus inter se consentiant, ut, quae sit ea diversitas et unde, investigetur, certum primum est fundamentum quaerendum, cui reliqua disquisitio superstruatur: ad libros dico Platonis recedendum. Etenim magis consentaneum est, Platonem ab iis, qui audirent scholas suas, postulasse, ut libros haberent cognitos, non vice versa libros ad eorum tantum usum scripsisse, qui auditores fuissent. Quare, qui rem historice et genetice, ut fere aiunt, — aliter enim vix unquam quis Platonem recte intelligat — tractare velit, a fundamento incipiat necesse est, id est primum, quae in libris philosophi doceantur, dicat, tum, quae in scholis dicta referantur, denique, quomodo a discipulis doctrina magistri sit exculta et mutata. Tres igitur sunt partes, quibus res est absolvenda, ego vero primam tantum in praesenti transigere proposui, quod tamen eum, qui tum rei magnitudinem, tum temporis viriumque mearum exiguitatem tum etiam eam, quam hujuscemodi libellum longitudinem superare non licet, spectet, vix crimini daturum spero.

Caput I.

Introductio.

Reputanti, quomodo rem optime transigerem, haec mihi, ut non solum id, quod in animo esset, quam maxime tum perfecte tum perspicue proferrem, verum etiam, ut eum, qui obtinet apud Platonem, sententiarum ordinem atque nexum internum quam fieri posset maxime servarem, aptissima visa est partitio. Primum quasi in conspectum nostrum erit ponendum introducendumque problema, tum, quae sit notio, quae natura, quae determinationes materiae Platonicae ita ostendam, ut de vocis „χώρα", quae extat in Timaeo, usu ac significatione perquiram, tum, quatenus inter rerum mundanarum principia sit referenda, tum, quomodo a mente humana percipiatur cogiteturque notio materiae dicam, tum de *ἀπείρῳ*, quod in Philebo occurrit, agam, denique vero summae instar, quae ante dicta erunt, brevibus complecti et inter se conjungere conabor.

Sine ulla autem — ut rem jam aggrediamur — inter viros doctos dubitatione constat Timaei Platonici locum illum clarissimum, qui legitur inde a pag. 47 usque ad pag. 53 C fundamentum esse jaciendum ei, qui velit disquirere de materiae Platonicae notione. Qui vero recte inde initium facere velit, priusquam ad sententias ipsas accedat, duas res ut ita dicam exteriores attendat necesse est. Primo enim sermonum adspectu Timaeum in nostro loco de re nova, nuper inventa, antea nondum tractata loqui apparet. Praeterea autem

respiciendum est tempus, quo dialogus totus sit scriptus. Quem cum inter extremos Platonis libros ponendum esse consentiant viri docti, illum, qui utrumque illud spectet, vix dubitaturum arbitror, quin in aliis, qui antecesserint, dialogis nec multa nec seria veramque quae contineant et aliquatenus jam excultam Platonis de materia sententiam, inventurus sit dicta. Sed de Platonicae philosophiae origine progressuque deque librorum serie hic non prolixius disserendum, profitendum tamen, me propter id ipsum, quod modo dixi, cum legerem Platonis libros cumque praeter nostrum locum in Timaeo et Philebi Politicique nonnullos locos, qui postmodum erunt afferendi, nullum, in quo scribendo eam, quam exponere et illustrare notionem proposui, Platonis menti obversatam pro certo affirmare possem, invenirem, minime miratum esse.

Propius igitur ad illum Timaei locum accedamus, qui longe primarius in nostra quaestione est vocandus. Qui, sicut totus dialogus, profundissimarum sententiarum est plenus, sed, ut ipsius auctoris verbo utar, *δυςαλωτότατος*, inde a vetustissimis temporibus crux interpretum.

Primum autem, quid tandem in eo loco quaeratur et tractetur, erit exponendum. Et hic quidem Schleiermacheri egregium praeceptum nobis erit ante omnia observandum, qui Platonis dialogos ita comparavit cum Novo Testamento, ut ex utrisque libris locos depromptos perperam semper diceret intellectum iri, nisi, qualis esset eorum cum toto, in quo occurrerent, libro nexus internus, clare et distincte perspiceretur. Schleiermachero igitur uti obsequar: quis est, qui totum Timaeum agere *περὶ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως* nesciat? [1]) Potest igitur dialogus physices Platonicae compendium vocari. Cujus quae sint capita generalia quaeque eorum inter se ratio, haud difficile perspectu. Nam Timaeus, ubi illam ipsam rem, quam tractare proposuit, exponere incipit, orditur a divisione inter *τὸ ὄν*, quod *νοήσει*, et *τὸ γιγνόμενον*, quod *δόξῃ* percipitur. [2]) Neminem hic mundum intelligibilem — ut aiunt — ex solis purisque ideis, quarum quae sit natura, mox erit

---

[1]) Tim. pag. 27, A.

[2]) Tim. pag. 28, A.

dicendum et rerum naturalium sensusque moventium mundum, qui sensibilis vocatur, dignosci fugiet. Sed hanc divisionem ad id, de quo est sermo, intelligendum non sufficere mox apparet. Videmus enim Timaeum inde a pag. 27 disserentem de iis, quae ratione seu providentia Dei in mundo facta sint, id est de ideis, quod, quomodo, cur et quatenus in mundo sensibili sint expressae. Incidit autem jam inde a pag. 44 in mentionem ejusmodi rerum, quas postea *ξυναίτια*[1]) appellat: quae discernuntur a veris causis id est ideis[2]); cum igitur neque originem ducant ex ideis, neque insint mundo intelligibili, debent esse in mundo sensibili. Qui, cum, ut supra ostendit, altera tantum ex parte idearum opera sit constitutus, quatenus non meras ideas, sed cum aliqua re ipsis opposita conjunctas continet, debet habere alterum idque ab ideis perquam diversum principium. Qua de causa pag. 48, A „*μεμιγμένη γὰρ οὖν*“ inquit „*ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου γένεσις ἐξ ἀνάγκης τε καὶ νοῦ συστάσεως ἐγεννήθη*“, deinde rationem in mundi constitutione dominari necessitati, necessitatem vero seu causam erraticam, id est ratione expertem, non secus esse considerandam dicit, sed si quis rem funditus velit penetrare, non sufficere, ut ad elementa illa quatuor, ignem, aëra, aquam, terram recurrat; quae cum longe non sint substantiae primariae a nullo alio originem ducentes pag. 48, E, „*ἡ δ᾽ οὖν*“ inquit „*αὖθις ἀρχὴ περὶ τοῦ παντὸς ἔστω μειζόνως ἔτι τῆς πρόσθεν διῃρημένη. τότε μὲν γὰρ δύο εἴδη διειλόμεθα, νῦν δὲ τρίτον ἄλλο γένος ἡμῖν δηλωτέον. τὰ μὲν γὰρ δύο ἱκανὰ ἦν ἐπὶ τοῖς ἔμπροσθεν λεχθεῖσιν, ἓν μὲν ὡς παραδείγματος εἶδος ὑποτεθέν, νοητὸν καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὄν, μίμημα δὲ παραδείγματος δεύτερον, γένεσιν ἔχον καὶ ὁρατόν. τρίτον δὲ τότε* et quae sequuntur.

Perspicuum esse ex his locis, quos attuli, puto Platonem a consideratione providentiae sive *τοῦ νοῦ* transitum facere ad id, quod in mundo sensibili discrimen ab intelligibili efficit. Hoc autem *χαλεπὸν καὶ ἀμυδρὸν εἶδος* est materia[3]), quod nomen, quamvis non

---

[1]) Tim. pag. 46, C.

[2]) Tim. pag. 46 D. sqq.

[3]) Rectius quam *ὕλη*, materia, ut mox apparebit, vocaretur *χώρα*, spatium, vacuum. Quod autem ad nomen *ὕλη*, materia attinet, Plato

a Platone trahat originem, ex antiquissimis temporibus ad illam, de qua quaerimus, Platonis notionem designandam est usurpatum. Qua de causa retinendum etiam illi viri docti censuerunt, qui, quam non aptum sit, intellexerunt. Habemus autem nunc tres physices Platonicae capita generalia, agit enim Platonis physice primum de principiis duobus mundi id est de ideis et de materia, tum de mundo sensibili, quomodo constitutus sit, ipso. Quos tres ut ita dicam articulos in tribus Timaei partibus neminem non reperire posse arbitror.

Illustrandum igitur proposui secundum illud physices Platonicae caput. Jam hanc nos cum Platone ponamus quaestionem: Quid est illud alterum, ex quo praeter ideas constat rerum sensus moventium universitas sive *τὰ γιγνόμενα*? Quid ideis omnibus vel, quod est accuratius, earum imaginibus ex mundo detractis manebit residuum? Quodsi ita nobis quaerendum est, antequam ad materiam adumbrandam nostrumque locum exponendum accedamus, jure placet recedere ad doctrinam de ideis, praesertim cum Plato ipse non a rerum naturalium materiaeque, quam nos dicimus, considera-

---

nusquam in libris suis quidquam, quod hujuscemodi abusus possit esse causa, dicit. Nam locus Timaei pag. 69 A „ὅτ' οὖν δὴ τὰ νῦν οἷα τέκτοσιν ἡμῖν ὕλη παράκειται" et quae sequuntur, voce „ὕλη" ut exemplum adhibita non tantum necessariam sed etiam divinam causam complectitur (cf. 68, E), ergo id etiam, quod materiae est oppositum. Quod Ritter, cum dicit (Geschichte der Philosophie II. Theil, 2te Auflage, pag. 360) „Ein solches Etwas (geschickt, das Bild der Ideen in sich aufzunehmen) vergleicht Plato selbst mit der Materie, welche von Handwerkern verarbeitet wird" vix mihi videtur recte accepisse, Aristoteles vero, qui primus „ὕλη" terminum technicum, ut fere aiunt, in philosophiam introduxit, cum Phys. ausc. IV, 2 dicat Platonem in Timaeo ὕλην et χώραν idem fecisse, quamvis aperte non assentiatur Platoni, tamen videtur causa fuisse, cur viri docti postmodum de Platonis „materia" aut „sylva" — ut Chalcidius — aut ὕλη loquerentur. Namque sane invenerat recte Aristoteles in Platonis materia seu χώρᾳ aliquid, quod esset ἀνάλογον suae ὕλῃ, sed illa, quantum a Platonis materia distet, ne dicere quidem opus est. Ingens vero ex hac denominatione imprimis apud eos, qui Aristotelem Platonemque inter se quammaxime conciliare studuerunt, secuta est confusio.

tione ad ideas, sed vice versa, uti omnes sciunt, processerit ab ideis quippe totius philosophiae suae cardine ad mundum sensibilem secundum intelligibilis mundi imaginem exstruendum materiamque idearum ratione habita definiendam, cumque, quod idem magni est momenti ad rite quaestionem nostram instituendam, in ea Timaei parte prima, cujus argumentum denotat his verbis „τα μὲν οὖν παρεληλυθότα τῶν εἰρημένων πλὴν βραχέων ἐπιδέδεικται τα διὰ νοῦ δεδημιουργημένα“ [1]) magis postuletur in legentibus, quam exponatur doctrina illa de ideis. Etenim intercedit inter primam illam, ubi de rebus intelligibilibus et secundam partem, ubi de materia est sermo, ea ratio, ut altera rem jam antea expositam et cognitam eorum, quae sequuntur, semper habita ratione repetat, altera vero rem plane novam nunc primum — de quo supra jam dixi — exponere incipiat. Habemus igitur in secunda Timaei parte puram de materia, in prima vero adhibitam de ideis doctrinam.

Quid igitur sint ideae, quam brevissime exponamus. Haec dialectices Platonicae, quae est de ideis doctrina, lineamenta:

1. Ad perfectam scientiam (ἐπιστήμη, νόησις)[2]) nihil pertinet, nisi quod pura ratione intelligitur.

2. Ejusmodi sunt notiones generales, quibus vera rerum natura vel substantia (οὐσία) continetur. (γένη, εἴδη, ἰδέαι, ἓν ἐπὶ πολλῶν). Quae quamvis inter se misceri nequeant, tamen inter se sunt cognatae, quatenus in unum eas idea boni complectitur.

---

[1]) Tim. 47, E.

[2]) Nihil praeter brevissima doctrinae lineamenta reddere in animo est. Quare nihil etiam adjicio ad rem tum probandam tum illustrandam praeter ea totius Platonicae metaphysices fundamenta, ad quae postmodum iterum erit recurrendum: sententiam dico philosophi de mentis humanae ad cognoscendum viribus, imprimis ex locis illis clarissimis Rep. VI, 509, A, sqq. Rep. VII, 533, sqq. haustam. Modi cognoscendi in mente humana sunt:

	1. ἐπιστήμη (νόησις)		2. δόξα	
	a) νόησις (ἐπιστήμη)	b) διάνοια	a) πίστις	b) εἰκασία
Quibus respondent in rerum natura:	1. οὐσία.		2. γένεσις.	

3) Sunt hae ideae solae ὄντως οὖσαι. Opponuntur hoc respectu rebus in mundo sensibili extantibus. Nam ideae sunt καθ' αὑτάς, quod germanice „an sich“ dicimus, cum mundus sensibilis non in se habeat, sed ab ideis ducat substantiam; ideae sunt ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ οὖσαι, aeternae, immutabiles, res sensibiles aliae semper in alias mutantur, existunt, pereunt, γίγνονται; qua de causa sunt ideae a rebus naturalibus segregatae, χωρισταί, uti recte ait Aristoteles, quod quidem verbum „transscendentes“ verti posse puto.

Haec mihi videntur esse ideologiae, ut ita dicam Platonicae elementa, ad quae fortasse non inutile hoc etiam monere, ne quis ita definiat discrimen, quod intercedit inter ideas et res sensibiles, ut alteras dicat „ideales“ alteras „reales“; nam hoc discrimen, quamquam nobis usitatissimum, tamen a Graecorum philosophia magnopere est alienum, ideaeque Platonicae, ut breviter dicam, sunt κατ' ἐξοχὴν reales, si quidem hoc de rebus, quae non in ratione tantum humana, sed extra eam sunt per se et in se, dicitur; in eo vero propria earum vis sita est, quod non tantum extra mentem humanam sed etiam extra mundum sensibilem mutabilemque in se sunt. Quare brevissima quadam quamvis barbara formula idearum Platonicarum naturam definire placet hoc modo: ideae sunt substantiae transscendentes.

Sed nunc ea, quae pauca de ideis statuimus, adhibeamus ad notionem materiae quaerendam et quasi ex conjectura augurandam. Rerum sensus moventium universitas aliquatenus idearum est particeps, sicuti δόξα, qua cognoscitur, habet nexum cum νοήσει, singula individua, quae cadunt in sensus, cum notionibus generalibus. Aliquatenus autem mundus visibilis differt ab ideis ut δόξα a νοήσει, individua a generibus, phaenomena a substantiis. Quale tandem erit, quod hoc efficiat in mundo sensibili a veris et intelligibilibus substantiis tam magnum discrimen? Nullam — hoc enim primum de ejus natura videtur statuendum — cum ideis habebit communionem, quin immo iis erit contrarium, quoniam est principium, ex quo oriatur discrimen illud inter τὰ ὄντα et τὰ γιγνόμενα. Quare nec νοήσει nec δόξῃ percipietur neque nullo modo ad veram rerum naturam pertinebit, nec

res conjunget et complectetur, sed disjiciet potius neque habebit ullam substantiam, quae jure possit vocari: ad purum igitur nihil sive nonens perquam prope accedere videtur.

Ejusmodi quidem multa, si quis, quae de ideis dicit Plato, sola respiciat, facile conjiciat. Sed rem habere summas difficultates et Plato ipse et, qui Platonem legerunt, ab initio inde usque ad nostra tempora senserunt. Quo factum est, ut Plato et rem difficillimam esse statim annunciet, ubi eam tractare incipit, loquaturque cautissime et paene *αἰνιγματικῶς* et sero, id est in Timaeo primum, quem inter ultimos composuit dialogos, hoc obscurissimum problema penetrare ausus sit; nec non propter id ipsum virorum doctorum opiniones vehementer inter se discrepant, quid sit Platonis materia. Maxima vero rei in eo sita est difficultas, quod non apparere videtur, qui fieri possit, ut id, quod nihil sit, possit habere effectum in mundo rerum sensibilium conspicuum, scilicet omnia ea, quibus ille differt ab ideis sive intelligibili natura. Qua de causa duae potissimum sunt inter viros doctos sententiae. Alii enim id, quod modo conjecturis assequi conati sumus, materiam a Platone pro non ente habitam arbitrantur, alii autem contendunt esse substantiam quidem seu substratum rerum corporearum per se aeternum existens praeter ideas et deum creatorem, id est mundi dispositorem, carentem vero faciunt formis et qualitatibus.

Talis est controversiae status, hae sunt, ad quas, ut responsum aliquod certe feratur, operam dandum est, quaestiones, et maximi quidem eae, ut facile intelligitur, momenti. Primum enim is etiam, qui philosophiam non attigerit, majorem vix reperiri posse concedat discrepantiam de re, quam si alii eam omnino non esse, alii ab aeterno per se esse contendant, tum ille, qui Platonis doctrinam recte vult intelligere et ejus lineamenta habere perspicua, de materia quam maxime fieri possit, firmam et distinctam statuat sententiam necesse est.

Videamus igitur, quid dicat Plato de eo, quod *χαλεπὸν καὶ ἀμυδρὸν εἶδος* esse affirmavit. Quam vim maxime habeat, dicit his verbis: „*πάσης εἶναι γενέ-*

σεως ὑποδοχὴν αὐτὴν οἷον τιθήνην“ [1]). Quod verum quidem esse dicit Timaeus, sed accuratius etiam res imagine magis adumbrata quam expressa illustrari debet. Propterea autem ad ea, quae quatuor elementa vocantur, recurrit. Haec ab ea, quam quaerit, obscura materia sunt discernenda. Nam cum mutentur transeantque inter se semper [2]), non sunt simplices materiae sed formae mutabiles habenda, qua de causa non pronomine demonstrativo „hoc, illud“ quo significatur substantia quaedam seu subjectum, sed voce „tale quid“ sunt designanda, id enim „tale quid“ dicitur de qualitate subjecto inhaerenti, ut, si quis ex auro figuras faciat, semperque alias in alias transformet, non figura, sed aurum recte „hoc, illud“, figura autem „talis, ejusmodi“ habeat denominationem. [3]) Deinde ἡ τὰ πάντα δεχομένη φύσις vocatur, porro ταὐτὸν ἀεί, quia nunquam mutat suam vim seu naturam. Suscipit enim semper cuncta, quare per se sumpta debet esse omni forma expers. Massa igitur quasi subjicitur, quae ab iis, quae introeunt, movetur et in diversas mutatur formas, unde alio tempore aliud apparet. Unde autem haec sunt, quae in materiam introeunt? Plato statim declarat: „τὰ δὲ εἰσιόντα καὶ ἐξιόντα τῶν ὄντων (i. e. idearum) ἀεὶ μιμήματα, τυπωθέντα et quae sequuntur. Tum divisionem illam, a qua profectus est sermo, ita repetit, ut quae sit illorum principiorum maxime inter se ratio, significetur; „τὸ μὲν γιγνόμενον, τὸ δ᾽ ἐν ᾧ γίγνεται, τὸ δ᾽ ὅθεν ἀφομοιούμενον φύεται τὸ γιγνόμενον, quas tres notiones etiam imagine explicat patris, matris infantisque; et monet, id, quod debeat figuras suscipere, vacuum omnibus iis, quas suscipere debeat, figuris esse opor-

[1]) Tim. 49, A.

[2]) Excepta tamen terra, quae neque in aliud transit, neque ex alio fit elemento, ut postea (pag. 54, B, sqq) adjicit restringens quodammodo, quod hic dixit.

[3]) Similem igitur ut inter aurum et figuras ex eo effictas dicit intercedere rationem, inter materiam et elementa reliquasque res, quae sub sensus cadunt. Sed nec dicit accuratius, quae tandem sit ea ratio, et, ut postea videbimus, magnopere est cavendum, ne hic aliquid a re ipsa alienum cumque iis, quae sequuntur nullo modo conciliandum verbis inferatur

tere. Quod exemplis unguentorum et massarum, quae ad exprimendas imagines adhibentur, amplius illustrat. „*Ταὐτὸν οὖν*“ inquit „*καὶ τῷ τὰ τῶν πάντων ἀεί τε ὄντων κατὰ πᾶν ἑαυτοῦ πολλάκις ἀφομοιώματα καλῶς μέλλοντι δέχεσθαι πάντων ἐκτὸς αὐτῷ προςήκει πεφυκέναι τῶν εἰδῶν.*“ Quaropter nullum eorum, quae vocantur elementa, materia est, neque „*ὅσα ἐκ τούτων*“ neque „*ἐξ ὧν ταῦτα*“ facta sunt. Dicenda est potius „*ἀνόρατον εἶδος, ἄμορφον, πανδεχές, μεταλαμβάνον δὲ ἀπορώτατά πῃ τοῦ νοητοῦ καὶ δυσαλωτότατον.*“ Ad elementa autem ita se habet, ut ea sint qualitates sive imagines a materia susceptae. Quodsi elementa ita fieri ex materia dixit, ut imagines ab ea suscipiantur, debent esse exempla sive res, quarum sunt imagines elementa illa corporea, id est debet esse idea ignis, aëris, aquae, terrae. Quas extare ratione sola attingendas praeter corpora sensibilia probat sequentibus doctrina de ideis brevissime sed egregie proposita. Principium dicit esse discrimen illud, quod intercedat inter rationem et veram opinionem. Differunt inter se et origiue et natura. Jllius enim ex doctrina, hujus ex persuasione participes evadimus, illa semper est cum vera ratione, haec sine ratione, illa non movetur persuasione, haec persuasione mutatur, haec denique omnibus hominibus, illa praeter deos paucissimis tantum mortalibus contigit. Tertium deinde dividit principia mundi, quorum primum est species semper eadem sine ortu atque interitu, quae neque in se suscipit aliud quidquam aliunde neque ipsa introit in aliud quidquam, nec visu neque alio quoquam sensu percipitur. Hoc illud est, quod ratio intuendum accepit. Alterum autem est illi par nomine et simile, sensibile, genitum, semper motum, existens in aliquo loco rursusque inde interiens, opinione cum sensibus prehensum.

Tum Plato, postquam de materia sermone facto quasi ad intimam rei naturam pervenit, totam suam de problemate sententiam, quam, ut ostendisse mihi videor, non prolixius tantum sed etiam ambiguis et a philosophico dicendi genere abhorrentibus vocibus multaque repetendo et iterum aliter vertendo exposuit huc usque, complectitur his verbis: *τρίτον δὲ αὖ γένος ὂν τὸ τῆς χώρας ἀεί, φθορὰν οὐ προσδεχόμενον,*

ἕδραν δὲ παρέχον ὅσα ἔχει γένεσιν πᾶσιν, αὐτὸ δὲ μετ' ἀναισθησίας ἁπτὸν λογισμῷ τινι νόθῳ, μόγις πιστόν· πρὸς ὃ δὴ καὶ ὀνειροπολοῦμεν βλέποντες καί φαμεν ἀναγκαῖον εἶναί που τὸ ὂν ἅπαν ἔν τινι τόπῳ καὶ κατέχον χώραν τινά, τὸ δὲ μήτ' ἐν γῇ μήτε που κατ' οὐρανὸν οὐδὲν εἶναι· ταῦτα δὴ πάντα καὶ τούτων ἄλλα ἀδελφὰ καὶ περὶ τὴν ἄυπνον καὶ ἀληθῶς φύσιν ὑπάρχουσαν ὑπὸ ταύτης τῆς ὀνειρώξεως οὐ δυνατοὶ γιγνόμεθα ἐγερθέντες διοριζόμενοι τἀληθὲς λέγειν, ὡς εἰκόνι μέν, ἐπείπερ οὐδ' αὐτὸ τοῦτο, ἐφ' ᾧ γέγονεν, ἑαυτῆς ἐστιν, ἑτέρου δέ τινος ἀεὶ φέρεται φάντασμα, διὰ ταῦτα ἐν ἑτέρῳ τινὶ προσήκει γίγνεσθαι, οὐσίας ἁμωσγέπως ἀντεχομένην, ἢ μηδὲν τὸ παράπαν αὐτὴν εἶναι; τῷ δὲ ὄντως ὄντι βοηθὸς ὁ δι' ἀκριβείας ἀληθὴς λόγος, ὡς ἕως ἄν τι τὸ μὲν ἄλλο ᾖ, τὸ δὲ ἄλλο, οὐδέτερον ἐν οὐδετέρῳ ποτὲ γενόμενον ἓν ἅμα ταὐτὸν καὶ δύο γενήσεσθον."

Hic omnia, quae ante de materia sunt dicta, repeti et hoc modo huic physices capiti ad summam perducto finem imponi, quis est, quin intelligat? Item quemque concessurum arbitror, ita nobis ad sensum ejus, cujus modo breve argumentum adumbrare conatus sum, Timaei partis, penetrandum esse, ut hujus, quem modo verbotenus reddidi, loci accuratam instituamus interpretationem, reliquisque, quae ante dicta sunt de materia, adhibitis rursus antecedentibus ex his Platonis verbis lucem afferamus. Nam legenti inde a pagina 47, E usque ad pag. 52, D non solum, si totam disserendi rationem, sed etiam si singulos illos terminos, quibus δυσάλωτον illud, quod nos materiam Platonis vocare consuevimus, designat Timaeus, respiciat, sermonem ab imaginibus et exemplis ad verba rei naturam, qualis per se sit exprimentia procedere apparebit. Deinceps enim, postquam τῆς ἀνάγκης et τῆς πλανωμένης αἰτίας naturam ac principium se velle eruere annunciavit, his vocibus utitur: „πάσης γενέσεως ὑποδοχὴ οἷον τιθήνη, ἡ τὰ πάντα δεχομένη σώματα φύσις, ἐκμαγεῖον, τὸ ἐν ᾧ γίγνεται τὸ γιγνόμενον, ἡ τοῦ γενομένου ὁρατοῦ καὶ πάντως αἰσθητοῦ μήτηρ καὶ ὑποδοχή, εἶδος ἄμορφον καὶ πανδεχές, γένος τὸ τῆς χώρας ἀεί."—Quibus omnibus materiae denominationibus id est commune, quod suscipiens aliquod designant. Sed inter se differunt ita, ut magis unaquisque ex rei

imagnibus quasi velaminibus meram ejus notionem evolvant; eum autem quem extremum adhibet Timaeus terminum, „χώρα“ vix aliquis imaginem seu tropum appellet. Qua de causa, quod extremum dicitur, veram ac nudam maxime Platonis sententiam aperturum esse arbitror; unum autem idemque cum omnibus his, quos enumeravi, terminis significari constet, extremi ratione habita, id est „χώρας“ notione quam maxime fieri potuerit enucleata et illustrata, optime intelligemus ea, quae antecedunt.

Caput II.

De materia „χώρα“ in Timaeo vocata.

Quid igitur hoc loco „χώραν“ intilligit philosophus? Latissima quidem vocis notio, a qua etiam Platonem, cum verbum ad rem illam obscuram, de qua perquirimus, designandam quaereret, profectum esse, sine ullo dubio constat, est: id quod χωρεῖ, quod cedit et in se suscipit aliquid vel etiam suscipere potest, capax est alicujus rei, ut Plato ipse, ne alios afferam Gracorum scriptorum, qui extant plurimi, locos, usurpat verbum χωρεῖν Conv: pag. 214. A. Latine igitur melius „spatium“, vernacule „Raum“ quam „locus“ et „Ort“ est vertendum. Sed adhuc nos nihil ad Platonis materiam, quid sit, intelligendam profecisse, cum hanc tantum verbi „χώρα“ significationem habemus perspectam, cum ex re ipsa tum ex eo patet, quod de spatii notione magna semper fuit inter philosophos sententiarum diversitas. Videtur igitur e Platonis libris, quam ille posuerit spatii notionem, repetendum. Sed ei, qui Platonem bene cognitum habeat, vereor, ut operae pretium facturi videamur, si hac via ad id, quod nostro loco vocatur „χώρα“ tendamus, ut, quae de spatio aliis locis dicit Plato, conferamus. Nam ejusmodi loci ita se habent, ut uno tantum [1]) nomine χώρας adhibito nostrum aperte re-

---

[1]) Tim. 52 D. οὗτος . . . δεδόσθω λόγος, ὄν τε καὶ χώραν καὶ γένεσιν εἶναι, τρία τριχῇ, καὶ πρὶν οὐρανὸν γενέσθαι.

spiciat locum, aliis [1]) autem generalem illam spatii notionem vox significet sitque verbi τόπος synonymum nusquam autem hanc notionem accuratius definitam videmus ita, ut nostro loco lux quaedam afferatur. Quod quidem jam Aristoteles sensit: reprehendit enim Platonem, quod spatium materiam dixerit, sed tamen etiam cum loco unum idemque fecerit. [2]) Ex quibus alterum ad nostrum locum et paginam 52, D videtur referendum, alterum autem ad ceteros locos, ubi de χώρᾳ et τόπῳ loquitur Timaeus. Suspicari igitur licet — si Platonem defendere volumus quodammodo — duplicem esse vocis „χώρα" apud philosophum usum, vel certe duplicem videri, cum ex generali illo et non accuratius definito, quo simpliciter spatium significat, non satis sequatur, ut id, quod alterum rerum naturalium principium esse dixit, et iis, quae supra attuli, denotavit vocibus Plato, nunc vocetur χώρα. Cum igitur habeamus et spatii notionem satis indefinitam et generalem et illam χώραν, quae in nostro loco repente, ut ita dicam, et ex iis, quae antecedunt, minime exspectata exurgit materiae denominatio, transitus autem adhuc nos deficiat inter has notiones, aliunde est auxilium repetendum, ut intelligamus, quomodo Plato potuerit idem facere χώραν cum materia, id est cum principio illo ideis contrario, quod praeter ideas est quaerendum ad mundi sensibilis naturam intelligendam. Quod qui fieri potuerit nisi intelligemus, omnia, quae praeterea habemus in Timaeo de materia dicta, erunt obscura. Hic enim est cardo rei, hic totius nostrae quaestionis latet difficultas.

Dicat aliquis: Quid? Plato ex ideis et ex spatio tantum extruxit mundum? Maxime, respondeo, ita rem expedivit, quamvis nos non omnia, quae, ut hoc exequeretur, posuit, probare possimus. Sed ut intelligamus primum, quomodo Plato potuerit putare fieri

---

[1]) Tim. pag. 25 A; pag. 58 A. cf. etiam pag. 62, C, D, 63, A et quae inde sequuntur.

[2]) Aristot. phys. ausc. IV, 2. Διὸ καὶ Πλάτων τὴν ὕλην καὶ τὴν χώραν τὸ αὐτό φησιν εἶναι ἐν τῷ Τιμαίῳ, τὸ γὰρ μεταληπτικὸν καὶ τὴν χώραν ἓν καὶ ταὐτόν· ἄλλον δὲ τρόπον ἐκεῖ τε λέγων τὸ μεταληπτικὸν καὶ ἐν τοῖς λεγομένοις ἀγράφοις δόγμασιν, ὅμως τὸν τόπον καὶ τὴν χώραν τὸ αὐτὸ ἀπεφήνατο.

posse, ut ex spatio vacuo idearum opera mundus corporeus construatur, ea, quae de elementis in Timaeo disputavit, breviter sunt adumbranda, si forte quid auxilii inde nobis veniat.[1])

Elementorum natura atque inter se diversitas in eo sita est, ut sint corpora mathematica regularia ex duorum generum triangulis diverso modo composita, et quidem ignis constet ex particulis minimis tetraëdricis ex viginti quatuor triangulis, quorum anguli sunt $= R, \frac{2R}{3}$ et $\frac{R}{3}$ compositis, aër ex octaëdris triangulos tales 48, aqua ex icosaëdris triangulos ejusmodi 120 tenentibus. Terrae vero particulae minimae sunt cubi ex 24 quisque constantes triangulis, quorum anguli sunt $= R, \frac{R}{2}, \frac{R}{2}$. Ex quibus — ut, quod non attinet ad nostram quaestionem, transeamus — suspicari jam licet, Platonem, cum corpora ex planis composuisse videatur, non discernere inter corpus physicum et mathematicum. Corpus enim physicum est materia — eam intelligo, ut nos fere vocem adhibemus — finibus circumscripta, mathematicum autem corpus est nihil nisi spatium definitum. Aliud igitur corpus, nisi hoc, Plato omnino non novit facitque corpus mathematicum physicum. Quod magis etiam perspiciemus, si Platonem in Timaeo viderimus aperte contendentem, gravitatem nihil esse, quod corporibus per se contingat seu ad essentiam eorum constituendam sit necessarium.[2]) Singula enim elementa, quamquam perfunduntur inter se universo in mundo, tamen suum quodque habet locum,

[1]) Ea dico quae leguntur in Timaeo inde a pag. 53, C — 55, C. Extat etiam — uti omnes sciunt — aliud de elementis caput idque semper difficillimum habitum pag. 31 B — 32 C, ubi, ut Zeller recte dicit, teleologice agitur de elementis, cum nostro, quem modo designavi, loco physice eorum natura demonstretur. Sed ille locus, quaeque ibi Plato de *ἀναλογίᾳ* ceterisque de rebus mathematicis loquitur, quamquam pro puro ingenii ludo haud scio, an existimare possim, nihil ad nostram facit quaestionem; nam, quomodo inter sese habeant elementa, ibi exponitur, non quae ratio intercedat inter elementa et materiam; arithmetice, non geometrice disputatur, geometrice autem nos, si *χώρας* notionem attingere volumus, debemus de re perquirere.

[2]) Vide Tim. pag. 62, C — 63, E; maxime vero 63 D.

ubi plurimae ipsius particulae sunt coacervatae. Inde si portio aliqua ex elementis divellitur, resistit, et hoc appellamus gravitatem, quae propter id ipsum in alio non sita est, nisi, quod similia cum similibus facillime conjunguntur studentque congregari. Quapropter in suo loco unumquodque elementum est gravissimum; in loco terrae terra gravior quam ignis, ignis autem levior, in loco ignis autem vice versa. Sic igitur tollit Plato gravitatis notam in conceptu corporis, remanet extensio. Extensio est praedicatum spatii, corpus igitur, si hoc modo Platonis sententiam accipimus, videtur constare ex spatio sive ex extenso et planis figuris. Sed quid? Nonne aperte negat philosophus ex materia (χώρα) constare elementa? Non in ea potius esse affirmat?[1]) Hoc ipsum est, quod me in Platonis χώρα non acquiescere sinit ita, ut eam simpliciter dicam spatium corporaque illa elementaria formas seu figuras.

Sed, ut ex dubitationibus quam citissime nos extricemus appareatque id, quod maximum est ad rem perspiciendam, Platonis dico ab ea, quam nos tenemus, de rebus geometricis perquam diversam sententiam, altius etiam recedamus et nos quasi in hanc, quam modo attuli, de elementis doctrinam immergamus necesse est. Res nequaquam facilis, sed, quid sentiam, quam clarissime exponere conabor, etiamsi forte argutiarum suspicionem non plane effugere possim. Ponat aliquis materiam nihil aliud nisi rem extensam, spatium. Adjiciat lineas et plana, quibus corpora mathematica definiri dicimus. Erunt tunc lineae et plana corporum fines, corpora ipsa spatia certis finibus circumclusa recte dicentur seu spatii portiones, quae includuntur

---

[1]) Tim. pag. 51, A *διὸ δὴ τὴν τοῦ γεγονότος ὁρατοῦ καὶ πάντως αἰσθητοῦ μητέρα καὶ ὑποδοχὴν μήτε γῆν μήτε ἀέρα μήτε πῦρ μήτε ὕδωρ λέγωμεν, μήτε ὅσα ἐκ τούτων μήτε ἐξ ὧν ταῦτα γέγονεν.* Illud autem *ἐξ ὧν* ad triangulos illos, quos modo dixi, apparet referendum esse, sed ita, ut ii ex ideis ducant originem, id quod verbis, quae sequuntur, statim fit manifestum: *τὰ δὲ εἰσιόντα καὶ ἐξιόντα τῶν ὄντων ἀεὶ μιμήματα τυπωθέντα ἀπ᾽ αὐτῶν τρόπον τινὰ δύσφραστον καὶ θαυμαστὸν, ὃν εἰσαῦθις μέτιμεν.*

Tim. pag. 50 C *ἐν δὲ οὖν τῷ παρόντι χρὴ γένη διορισθῆναι τριττὰ, τὸ μὲν γιγνόμενον, τὸ δ᾽ ἐν ᾧ γίγνεται τὸ δ᾽ ὅθεν ἀφομοιούμενον φύεται τὸ γιγνόμενον.*

lineis et planis. Erit ergo in unoquoque corpore et materia sive spatium, ex quo proprie constet corpus seu quod sit substantia corporis, et fines corporis non ex materia constantes sed definientes solum materiam. Ex hac sententia si quis dicat in corpore duo esse momenta i. e. positivum et negativum, spatium et fines dico — non inepte loquatur, nam, quod dicitur finis seu terminus, negando ponit singuli corporis, cujus est finis, essentiam, ita ut proprie vocari possit negativum aliquid.

Sed haec hactenus. Fieri sane potest, ut quis ita Platonis de materia sententiam accipiat, si id solum respiciat, quod χώρα appellatur, et ex mathematica ejusdem, ut videtur, determinatione ducitur elementorum natura. Sed quantopere ejusmodi interpretatio totam Platonis doctrinam pervertat, vix queo dicere. Tantum enim, si quis accurate doctrinam Platonis de elementis deque χώρᾳ perscrutetur, philosophi nostri ab ea, quam modo adumbravi discrepare sententia videbitur, ut paene ei contraria appareat. Non enim corpora illa elementorum, tetraëdrum, octaëdrum, icosaëdrum, hexaëdrum apud Platonem componuntur ex spatio et planis circumscriptis, sed ex solis planis ipsis; non constant ex spatio, sed nullam aliam habent substantiam, nisi triangulos illos compositos; non a planis ut a finibus corporis includitur spatium, sed plana efficiunt corpus elementare, nihil aliud. Quod quidem cum iis, quae a nostri temporis physicis mathematicisque docentur, parum congruit, sed Platonem, si ex mortuis resuscitatus has inter se discrepantes interpretationes dijudicare posset, valde mihi annuturum esse pro certo habeo, non tantum, si aliorum, qui partim seniores partim aequales Platonis, utrique vero — ut est verisimillimum — ejus fuerunt magistri, philosophorum doctrinas, sed maxime etiam, si Platonis ipsius libros respicio. Quin immo ex Platonis sententia non tantum non definiri et includi spatium a corporum substantia id est a planis, sed excludi potius arbitror: corpus cum existit, χώρα χωρεῖ id est ita in se suscipit corpus, ut ipsa cedat et ibi non sit, ubi corpus est. Quare χώρα corpus circumdat et definit quasi, est igitur χώρα, quae idem est cum ea, quam quaerimus, materia Platonica, secundum Platonem mo-

mentum negativum, figura autem, corporis substantia, positivum. Corpus igitur Platonicum non ita est in spatio, ut nos hoc dicimus de corporibus, ibi esse corpus, ubi est spatium, intelligentes, sed corpus est in spatio, ita ut sit spatium extra corpus, vacuum, non-corpus: dico de eo spatio — quamquam hoc moneam vix necesse, quod *χώραν* appellat hoc loco nostro, ut adhibeat ad materiae, de qua quaeritur, definitionem, non de spatio latius dicto, ut minus dialectica et definite in sermone non philosophico adhibetur, utque et ipsum Platonem vocem usurpasse mihi ostendisse videor.

Sed cum illustranda accuratiusque circumscribenda tum demonstranda magis etiam mea erit sententia, quam modo exhibui. Quod ut ordine fiat, primum demonstrandum est, elementorum corpora seu corpora elementaria non e substantia quadam corporea neque e spatio quidem et finibus id est planis, sed ex planis tantum, ex nullo vero alio, constare.

Jn elementisne illis ejusmodi aliquid inest praeter illas stereometricas figuras, quod substantia corporea seu materia, ut nos voce fere utimur, possit vocari? Brevibus hoc absolvere licet. Nam cum gravitatem ex corporum natura ejecisse Platonem jam ostenderimus, tum ei, qui Timaeum legerit, non poterit dubium esse, quin Plato omnes, quae attribuuntur corporibus sensibilibus, qualitates ex figura elementorum duxerit, ut calorem, frigus, colorem, duritiem, cetera. Quare nihil ad naturam cum elementorum tum omnium corporum nisi figuram pertinere, materiam igitur, quam nos dicimus, quae substantiam figurae efficiat a Platone omnino non poni, facile quisque colligit, sed utrum figura includat vacuum spatium, necne, quaeritur. Spatium vacuum prorsus nullum inesse corporibus physicis ex Platonis sententia, plana illa non solum definire corporum volumina, sed etiam eorum substantiam efficere contendi. Quod primum quidem, ut jam monui, patere videtur ex ejusmodi Platonis dictis, quibus affirmat materiam esse id, *ἐν ᾧ γίγνεται τὸ γιγνόμενον*, non *ἐξ οὗ*, monetque aperte, ne materia confundatur cum iis, *ἐξ ὧν ταῦτα* (elementa) *γίγνονται* id est primum cum triangulis, tum cum ideis. Neque vero, ubi conformationem elementorum describit, pag.

54 et 55, quidquam dicit de spatio, cui figurae illae circumdentur, neque, ubi postea exponit, quomodo elementa in se invicem transeant, ullum dicit spatium vacuum ex triangulis dissolutis remanere. Atqui utrumque ex ea, quam nego, sententia tam manifeste sequitur, ut, cur transierit silentio Plato, intelligere prorsus nequeam, praesertim cum, siquidem res ita se haberet, maximi utrumque esset momenti ad elementorum materiaeque naturam ac mutationes; quae ubi describuntur, saepe quidem — de quo infra etiam erit loquendum — fit mentio vacui, sed ita semper, ut id vacuum sit inter singula corpora minuscula, quae elementa constituunt, non vero in ipsis corporibus elementaribus. Quare, cum praeter figuras illas planas neque e substantia quadam corporea neque ex vacuo constent corpora illa elementorum, ex solis illis figuris ea conflata esse consentaneum est. Quod quamvis, quomodo fieri possit, intelligere nequeamus, non tantum Platoni ipsi, sed etiam Aristoteli saepenumero hoc ipsum Platoni crimini danti erit credendum.[1]) Cum vero dicat Plato elementa, si quis id spectet, utrum simplicia sint et vera rerum naturalium prima elementa, necne, ne syllabarum quidem locum tenere posse[2]), videtur quidem non tantum significare id, quod postea exposuit, ex triangulis illis, quos modo diximus, corpora elementaria esse conflata, sed ultra triangulos etiam primitivos esse dissolvenda elementa apparet. Nam triangulis cum syllabis comparatis lineas ex philophi nostri sententia in litterarum, quae graece etiam *στοιχεῖα* vocantur, ordinem ponendas esse suspicetur aliquis. Sed hoc Plato neque in Timaeo neque alias in libris suis attigit[3]). Nihilominus tamen

---

1) Aristot. de coelo III, 1. *Εἰσὶ δέ τινες οἳ καὶ πᾶν σῶμα γεννητὸν ποιοῦσι, συντιθέντες καὶ διαλύοντες εἰς ἐπίπεδα καὶ ἐξ ἐπιπέδων* et quae sequuntur. Jdem occurrit de gen. et corrupt. I, 2 ubi Timaeus nominatim laudatur, et in reliquis, quos attulit locis Zeller, Die Philosophie der Griechen; editio II, pars II, 1. pag. 515 adnot 3.

2) Tim. pag. 48, B, C, *προσῆκον αὐτοῖς* (quatuor elementis) *οὐδ' ἂν ὡς ἐν συλλαβῆς εἴδεσι μόνον εἰκότως ὑπὸ τοῦ καὶ βραχὺ φρονοῦντος ἀπεικασθῆναι.*

3) Ultra triangulos Platonem omnino non solvisse elementa ex

id constat, res mathematicas eum substantias per se existentes fecisse[1]), quod, quocunque modo factum est, tamen, si ita, ut nos rem accipere consuevimus, figuras corporum mathematicorum fines tantum spatii habuisset, prorsus non fieri potuisset. Haec omnia igitur mihi reputanti videtur Plato corpora elementaria ex nullo alio nisi e planis composuisse, nec substantia quadam corporea nec spatio quidem praeter has figuras ad ea efficienda assumpto necessarioque

Aristotele etiam videtur patere, qui compluribus locis agens, ut videtur, de hac re de corporibus ex planis compositis loquitur ut relata referens, cetera i. e. sequi ex hac sententia, ut plana ex lineis, lineae ex punctis componantur, ut sua adjicit. Vide de codo III, 1, 5: *Ἔπειτα δῆλον ὅτι τοῦ αὐτοῦ λόγου ἐστὶ στερεὰ μὲν ἐξ ἐπιπέδων συγκεῖσθαι, ἐπίπεδα δὲ ἐκ γραμμῶν, ταῦτα δὲ ἐκ στιγμῶν* et 14: *ἔτι εἰ μὲν πλήθει βαρύτερα τὰ σώματα τῶν ἐπιπέδων, ὥσπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ διώρισται, δῆλον ὡς ἕξει καὶ ἡ γραμμὴ καὶ ἡ στιγμὴ βάρος· Ἀνάλογον γὰρ πρὸς ἄλληλα ἔχουσιν, ὥσπερ καὶ πρότερον εἰρήκαμεν.* Nec non eo, quod Plato dicit Tim. pag. 53, E: *τὰς δ' ἔτι τούτων ἀρχὰς ἄνωθεν θεὸς οἶδε καὶ ἀνδρῶν ὃς ἂν ἐκείνῳ φίλος ᾖ* significare mihi videtur, se ultra disquirere non velle; neque quidquam, quod sui temporis legentibus notum fuerit, nobis non, supponere Platonem, nisi quod ad dei providentiam et rationem divinam mundum conformantem recurri jubeat, prius credam, quam — id quod fieri non posse pro certo habeo — quae tandem sit ejusmodi doctrina a Platone prolata, demonstretur. Huc etiam *δυσφραστος καὶ θαυμαστὸς τρόπος* et *ἀληθὴς λόγος* videntur referenda ita, ut alterum spectet mythologicum, alterum mathematicum in sermone momentum. Quae tamen non impediunt, quin *τὰς ἄνωθεν ἀρχάς* ad ideas referendas esse intelligamus, ut infra magis etiam fiet perspicuum.

1) Patet ex Timaeo pag. 51, ubi quaestionem movet auctor: *ἆρ' ἔστι τι πῦρ αὐτὸ ἐφ' ἑαυτοῦ, καὶ πάντα περὶ ὧν ἀεὶ λέγομεν οὕτως αὐτὰ καθ' αὑτὰ ὄντα ἕκαστα, ἢ ταῦτα, ἅπερ καὶ βλέπομεν, ὅσα τε ἄλλα διὰ τοῦ σώματος αἰσθανόμεθα, μόνα ἐστὶ τοιαύτην ἔχοντα ἀλήθειαν, ἄλλα δὲ οὐκ ἔστι παρὰ ταῦτα οὐδαμῇ οὐδαμῶς, ἀλλὰ μάτην ἑκάστοτε εἶναί τι φαμὲν εἶδος ἑκάστου νοητόν, τὸ δὲ οὐδὲν ἄρ' ἦν πλὴν λόγος,*“ et primum quaestionis membrum affirmat. Videtur igitur non solum *τὸ νοητόν*, sed etiam *τὸ διανοητὸν* Plato *χωρίσαι*, ut ait Aristoteles. Idem saepe hoc ipsum vituperat ut Met. M, II et III, ubi etiam suam de rebus mathematicis sententiam, quam nostris temporibus jure probant, exponit: scilicet *ἐξ ἀφαιρέσεως* ejusmodi res esse.

habito. Accedit, quod Tim. pag. 50, C, cum dicit: „τὰ δὲ εἰσιόντα καὶ ἐξιόντα τῶν ὄντων ἀεὶ μιμήματα τυπωθέντα ἀπ᾽ αὐτῶν τρόπον τινὰ δύςφραστον καὶ θαυμαστόν, ὃν εἰςαῦθις μέτιμεν," aperto ex aeternis substantiis id est ex ideis ducit naturam elementorum; vehementer igitur Plato totius philosophiae suae indoli repugnaret, si id ipsum, quod ideis contrarium esse debet, elementorum essentiae adnumeraret.

Sed si χώρα seu materia non est in corporibus, ubi tandem est quaerenda in mundo sensibili? Nonne forte omnino non adest? Adest sane, sed paene non adest, est, ut jam dixi plane extra corpora elementorum, alterum ab altero disjungit et efficit, ut alterum extra alterum sit, simillima igitur, ut jam alii iique docti viri agnoverunt, est τῷ μηδενί seu vacuo, quod Leucippus et Democritus non minus esse posuerant quam τὸ δέν [1]).

Ex iis autem, quae hanc sententiam magis etiam illustrant, id, quod aliquam habet difficultatem, primum affero. Si elementorum natura in talibus, qualia secundum Philolaum — ut constat — ponit Plato, corporibus sita est, spatium vacuum in mundo sensibili esse oportet. Neque enim inter se ea corpora ita, ut nullum relinquatur intervallum lineaeque lineas, plana plana tegant, componi possunt, quod ex stereometria, quam fere vocant, facile probatur; neque unquam figuras ex rectis lineis planisque conflatas globum, id est mundi, quam Plato ponit, formam, explere posse, quis est, quin intelligat? Sed refragari videntur loci Timaei ut 58, A, 60, C similesque, quos tamen, si recte quidem accipiantur, magis illustrare quam tenebris rem offundere aut in contrarium vertere posse persuasum habeo. Primum hoc est monendum: ex iis, quae proposui, argumentis tam perspicuum est, Platonem relinquere in mundo spatium vacuum, quamvis minimum, ut, si disertis verbis negaret alias, sibi ipse contradiceret disertis verbis. Sed ne negat quidem. Nam primo illo loco, ubi de circuitu τοῦ παντός dicit: „σφίγγει πάντα καὶ κενὴν χώραν οὐδεμίαν ἐᾷ λείπεσθαι", illud ἐᾷ, ut grammaticorum utar ter-

1) Vide Zeller I, pag. 584, 1. et Susemihl, Die genetische Entwickelung der platonischen Philosophie II, pag. 411, adn 392.

mino, de conatu est dictum. Non sequitur ex elementorum natura, ut vacuum prorsus nullum existat, sed efficit circuitus mundi, ut, quodcunque est vacuum, quantum fieri potest, maxime semper expleatur. Quod statim post Plato his verbis affirmat „τὰ γὰρ ἐκ μεγίστων μερῶν γεγονότα μεγίστην κενότητα ἐν τῇ ξυστάσει παραλέλοιπε τὰ δὲ σμικρότερα ἐλαχίστην.“ Illud igitur ἐᾷ οὐδεμίαν idem est, quod hoc παραλέλοιπεν ἐλαχίστην, si rem ipsam tantum respicias, sed accuratius dictum. Sed magis etiam, quid de hac re sit habendum, illucescit ex Tim. pag. 60, C. Timaeus enim ibi demonstrat, quomodo e terra aqua permixta fiant lapides. Aqua, quae terrae particulis est admixta, scissa iisdem mutatur in aëra et excedit in suum locum. Non autem adest, quo intrare possit, vacuum, qui fit, ut aëra circumfusum urgeat terraeque particulas ita, ut fiant lapides, comprimat. Hoc loco, si quis credat vacuum prorsus negari a Platone, his, quae apposui — id, quod contra Platonis sententiam me fecisse vix quisquam contendat — verbis „quo intrare possit“ totam difficultatem effugimus [1]). Nam χώρα seu materia non est ejusmodi spatium vacuum, quo possit corpus intrare, sed illud est, quod nullum eorum, ex quibus elementa constant, corporum penetrare possit. Quod in mundo extare et remanere ante demonstravi. Minimum autem ac paene nullum esse ex eo patet, quod triangulorum primitivorum natura angulis tantum definitur, linearum autem longitudo seu potius brevitas est infinita. Unde volumen corporum omnium simul sumptum proxime accedit ad totius mundi volumen, materiae autem seu χώρας volumen paene fit nullum. Qui vero Platonem omne spatium vacuum prorsus e mundo ejecisse affirmat [2]), vereor, ne praeter ea, quae jam protuli, graviter offendatur ejusmodi locis, ubi aperte inter elementorum corpora vacua (διάκενα) esse dicuntur, ut Tim. 60, E. seqq.; quamquam negari non potest, quam maxime studuisse philosophum nostrum, ut vacuum nullum relinqueret in mundo.

Sed jam adhibeamus eam, quam enucleare conatus [illegible]

---

[1]) Tim. 59, A eodem modo debet accipi.

[2]) Ut Aristoteles etiam fecisse videtur; vide de coelo lib. III, 8.

sum, materiae seu χώρας notionem ad quaedam, quae ante dixit Plato de ea re in Timaeo. Terminos, quos supra enarravi, si perlustramur: ὑποδοχή, δεχομένη, φύσις, πανδεχές, bene quadrant ad nostram sententiam. Et nunc demum hoc quoque funditus intelligimus, cur Plato appellet materiam τὸ ἐν ᾧ γίγνεται τὸ γιγνόμενον non τὸ ἐξ οὗ, quod quidem si χώραν id, quod nos vocamus materiam, fecisset, debebat dicere. Sed ne quis per vocem ἐκμαγεῖον in errorem incidat eamque mihi refragari contendat accipiens eam pro materia seu massa ex qua quid fingitur. Nam Theaet. pag. 191, C et 196, A ἐκμαγεῖον est ea massa, in quam imprimitur alicujus corporis figura extrinsecus, et Tim. 72, C, id, in quo abstergitur aliquid, nusquam vero a Platone ita usurpatur, ut massam, ex qua quid effingatur sive quae in figuram aliquam solidam transformetur, significet. Quare vernacule non „Bildungsstoff“ sed „Abdrucksstoff“ recte est vertendum. Denique vero non temere Platonem Tim. 35, A, ubi de compositione animae mundi disserit, τὴν μεριστὴν οὐσίαν dixisse arbitror περὶ τὰ σώματα et κατὰ τὰ σώματα non ἐν τοῖς σώμασι aut τῶν σωμάτων aut σωματικήν. In quo difficillimo et illustrissimo loco interpretando quantumcunque dissentiunt inter se viri docti, cum in eo certe consentiant, ut ibi de materia esse sermonem concedant omnes, magis eae, quas enarravi denominationes, pro me quam pro sententia contraria faciunt, quamquam illud περὶ et κατὰ sine ceteris, quae protuli, argumentis me non ad sententiam meam adducturum fuisse non nego.

Caput III.

De materia, quatenus sit mundi principium.

In iis, quae hactenus a me sunt disputata, exponere studui, quomodo Plato, postquam in illud, quod vulgo materiam Platonicam vocant, principium inciderit, notionem χώρας ad illud designandum accomodaverit. Sed et commovit me, ut hoc de problemate inquirerem, quam possem diligentissime, cujus ante

mentionem feci, virorum doctorum dissensio, utrum omnino aliquid sit materia an prorsus nihil sit, ad quam litem dijudicandam haec, quae dicta sunt, longe nondum sufficere quis est, quin intelligat? — et multa alia sunt a Platone, cum de materia disputaret, adjecta, quae partim ad physicen partim ad dialecticen pertinent. Qua de causa nunc dicendum est, primum, quomodo materiae notione Plato usus sit in mundo sensibili extruendo, tum, quam esse rationem docuerit inter nostrum intellectum et materiam. Pergamus igitur in loco illo, ubi primum verbum *χώρα* occurrit, contineturque breve doctrinae de materia argumentum, exponendo. Legimus ibi verba illa gravissima „*τρίτον δὲ αὖ γένος ὂν τὸ τῆς χώρας ἀεὶ, φθορὰν οὐ προςδεχόμενον*" et quae sequuntur, Scimus paulo ante Platonem de materia dixisse *ταὐτὸν αὐτὴν ἀεὶ προςρητέον· ἐκ γὰρ τῆς ἑαυτῆς τὸ παράπαν οὐκ ἐξίσταται δυνάμεως*". Quos locos si quis conferat, priorem ita posteriorem recte dicat interpretari, ut *δύναμις* illa sit *χώρας δύναμις*, rursus vero priorem ita a posteriore definiri, ut situm sit illud *τὸ ἀεὶ τὸ τῆς χώρας γένος εἶναι* et *τὸ τὴν φθορὰν οὐ προςδέχεσθαι* in eo, quod ante dicitur *τὸ τῆς ἑαυτῆς δυνάμεως οὐκ ἐξίστασθαι*. Contendo igitur, ut rei statim attingam cardinem, Platonem hic loqui de materia, quod semper eadem sit, non quod semper existat: essentiam materiae, non existentiam — ut Benedicti de Spinoza verbis utar — dicit. Sed heus, in quem gurgitem philosophiae me praecipitavi! Non solum enim vereor, ne deglutinet me immensa profunditas undarum, sed circumnatant etiam tritones sirenesque huc illud seducturi, scilicet et res ipsa per se est difficillima, et turbant me philosophorum quaestiones inter se tum de materia in genere tum de Platonis materia varia disputantium: sintne deus seu ideae priores, quam materia, an simul cum ideis deoque semper ea extiterit, sitne facta an infecta et quae ejusmodi sunt reliqua permulta. Quae omnia pertinent ad rationem, quae fuerit inter ideas et materiam in mundo constituendo — rem sane ingentis momenti, sed magis asserere et breviter, quae sentiam, adumbrare, quam rem ab ovo uberius tractare conabor, id quod Timaeus etiam fecit, in mentionem cum incideret dialectices seu doctrinae de ideis, ne multo majoris, quam proposui,

tractatus fiat voluminis. Quare, quae permulta et ea acutissima hic ab interpretibus disquiruntur, mitto, nisi ut exponam, utrum ideae causae fuerint materiae, an vice versa, an utrumque per se sit, an invicem a se dependeant. Nam eum, qui mecum *δημιουργὸν* seu *τὸν ξυνιστάντα*, quatenus ut de persona de eo fit sermo, inter mythica dialogi momenta referat, tempusque, antequam mundus visibilis esset factus, non extitisse intelligat, aliter quaestionem ponere non posse arbitror. Sed ne id quidem, dependeantne a materia ideae et dependeantne a se invicem ideae materiaque, qui Platonem legerit, quaerat quisquam. Restat igitur, ut quaeramus: Utrum ideae sunt causae materiae, annon? Sed ne amplius, quid sentiam, dissimulem: neque hoc quidem tam simpliciter quaeret et alterum negabit, alterum vero affirmabit is, qui, inter substantiam et causam quae sit apud Platonem ratio, intellexerit. Sed quid? Subito de substantia loquor? Et summo id quidem jure. Substantia enim latissime dicitur id, quod in se est, absolute autem sumpta, quod in se, per se et a se est, causa id, quod efficit, vel, si efficiendi notionem magis ad fontem suum reducas et ab omni eo, quod est externum, id est ab effectu, abstrahas cogitationem, id, quod agit; absolute autem sumpta causa est purus actus, non id, quod est et agit, sed id, quod agit tantum, non res agens, sed actus. Videntur autem mihi — ut id, cujus causa haec exposuerim, appareat — si speciebus misis genera tantum divido, duo esse philosophorum maxime genera. Alteri enim hoc habent totius philosophiae principium et ab hac idea semper partim plane prudentes partim inscii fere et inviti ducuntur in cogitando de rebus metaphysicis: Principii omnium rerum id est proprium, ut in se, per se et a se sit; alteri autem: Principii omnium rerum hoc primum est momentum, ut agat. Inter quas origines philosophiae quid intersit, neminem potest fugere. Nam alteri ex substantia ducunt causam, alteri e causa substantiam; id est, cum illorum sit substantia absoluta rerum omnium principium, causam eam esse dicunt rerum, quatenus sit omnium rerum substantia; horum cum causa absoluta sit, a quo ducantur res omnes, eatenus eam dicunt omnium rerum substantiam nec non singulas res substantias,

quatenus sit actus tum se tum alias res agens seu actuales faciens. Prioribus — ut exempla afferam — adnumerandi videntur Plato, Aristoteles, maxime vero Spinoza et e novissimis Hegelius, posterioribus Leibnitzius, Fichtius et, qui adhuc floret, Branisz. Hac de re disputari posse non nego, sed neque fore, ut eorum, quae posui, nullam rationem dare possim, spero, neque hic metaphysices accurata et prolixa fundamenta jacienda sunt. Platonem igitur — ut ad id, quod proprie quaero, revertar — ex iis esse, qui substantiae ideam habent caput omnis philosophiae, contendo non solum, quia ideis suis, id est principiis tum essendi tum cogitandi summis, adscribit omnium determinationum primam *τὸ ὄντως εἶναι,* sed magis etiam ex eo, quod ad notionem causae definiendam a viro proponitur. Nam si quis e Platone quaerat, quatenus tandem ideae sint causae mundi visibilis — id quod, si respicias Tim. 28, A, maxime quaerendum est — respondeat: quatenus, quidquid est substantiae aut substantiae simile in rebus mundanis, idearum est. Ducit igitur Plato omnino notionem causae ex notione substantiae. Nam si quis dicat, efficientem quidem causam rerum mundanarum sic, ut modo contendi, in ideis invenisse Platonem, finalem vero, seorsim positam per deum indicasse, tunc — si semel ejusmodi terminos ut causam efficientem et finalem hic admittimus — respondeo: deus rerum opifex, qui *δημιουργός* dicitur in Timaeo, ideam boni significat; cui vero deo cum tribuatur id, ut mundum efficiat, videmus Platonem idem facere causam efficientem cum causa finali; qui enim mythologice, ut ita dicam, vocatur deus mundum efficiens, metaphysice sumptus est idea boni; idea boni autem est id in ideis sive id idearum omnium commune attributum Platonis more substantia factum, — quod vernacule „hypostasirt“ dicimus — quo ideae sunt rerum mundanarum exemplaria [1]), id est earum perfectio summa, quae in nullo alio constat, nisi ut sint solae verae substantiae. In omnibus igitur iis, quae de idearum cum mundanis rebus nexu causali possunt dici, id est caput atque fons doctrinae, quod ideae sunt substantiae, et substantiae notio omnino

[1]) *παραδείγματα,* Vorbilder, Urbilder.

est philosophiae Platonicae summum principium. Sed ea, quae hactenus dixi, sufficere arbitror ad illam quaestionem, quae saepissime est a philosophis ventilata, Platonis materia utrum dependeat ab ideis, necne, intelligendam; sed hic, qui, quid quaeratur, priusquam quaerat, non intelligat, recte respondere non poterit propter intimam notionum causae et substantiae nexum. Materiae autem cum ideis nexus causalis — siquidem de eo potest sermo fieri — his mihi videtur definiri. Ideae sunt substantiae, materia autem, cum ideis quammaxime debeat esse contraria, caret substantia. Causalis autem nexus, cum omnino in eo sit situs, ut quid (effectus, res mundanae) particeps sit substantiae alius rei, (causae, idearum) materia vero, quippe prorsus carens substantia, cum non possit particeps esse idearum substantiae, non pendet nexu causali ab ideis. Sed proter id idem, quod caret substantia, non per se est, nam nihil per se est, nisi quod habeat substantiam sive sit ὄντως ὄν, ut id, quod omnino non esse dicimus, et ab aliqua causa effectum et sine causa existere negamus. Rem vero hoc id est causalis momenti respectu abstrusam esse vixque notionibus plane dilucidis et certis definiri posse necesse est confiteamur.

Sed si ad Timaei singulos locos revertimur, pertinet huc etiam id, quod dicit Plato Tim. pag. 48, A. „μεμιγμένη γὰρ οὖν ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου γένεσις ἐξ ἀναγκης καὶ νοῦ συστάσεως ἐγεννήθη. Sermo sine dubio est de aliqua re ideis opposita, ergo materia hic ἀνάγκη est, seu, ut jam ante accuratius dixi, materia est principium τῆς ἀνάγκης. Quod cum respicimus et id etiam, quod mox postea de necessitate a ratione victa Timaeus loquitur, animadvertimus, rectissime, arbitror, ita hanc ἀνάγκην a Platone intellectam esse contendemus, ut sit materia eatenus ἀνάγκη, quatenus necesse est, ut aliquid contrarium sit ideis in mundo visibili. Illud vero πείθειν, quod νοῦς exercet in ἀνάγκην est ipsa conformatio mundi; quousque autem a ratione necessitas sit victa, hic Plato magis αἰνίττεται, quam disertis verbis dicit, sed tum ex eo, quod de elementorum cum spatio vacuo seu materia ratione supra dictum est, magis fit perspicuum, tum etiam ex iis, quae postmodum sunt proferenda, fore ut illucescat, spero. Sed ne quis — id, quod facillime

fieri posse arbitror — verbo „ἀνάγκη“ vim et significationem a Platonis sententia alienam adscribat vocem ad naturalem quandam, ut aiunt, necessitatem suis quasi viribus dei providentiae reluctantem referens. Quod, cum semel in hunc locum celebrem philosophiae Platonicae inciderim, statim magis etiam est illustrandum. Ejusmodi enim, ut modo dixi, non solum in tam multis Timaei locis, sed etiam in Politico pag. 273 fit mentio naturae, ut eum, qui quaerat de materia Platonica deque ea, quae inter eandem et ideas intercedat, ratione, valde possit turbare, si Plato sibi videatur ita ipse contradicere, ut modo utatur ad mundum construendum ideis et materia illa, quam adeo omni substantia carere facit, modo narret a Deo opifice ex materia non solum in se existente, sed se movente et tumultuante mundum esse effictum. Sed ejecimus demiurgum e Platonis metaphysica, quid metuamus materiam et ejus, ut ait Chalcidius, antiquam jactationem? Videndum igitur primum est, quid tandem sit haec, quae a nonullis viris doctis vocata est secundaria materia, ut discernerent eam ab illa, quam huc usque adumbrare conati sumus, primitiva. Sed vereor, ne tam fiat Plato Manichaeo dissimilis, ut totam hanc comoediam, in qua deus agit partes ferarum domitoris, amittamus et referamus ad Timaei dialogi formam poëticam et mythologicam. Quid enim, si omnia, quae in Timaeo legimus, pro sincera Platonis sententia admittere velimus? Nonne hoc contra ipsius philosophi nostri fieret voluntatem, quippe qui totiens vocet μῦθον ea, quae in Timaeo dicit, et se nonnisi verisimili sermone uti profiteatur? Num fieri potest, ut talem, qualem admiramur, servemus Platonem philosophum, si omnibus verbotenus acceptis sexcentis eum contradictionibus intricemus, quas ne enarrare quidem possimus?

Sed ut ad rem ipsam veniam, idque, quod contendi, demonstrem etiam, cum supra ex illo primario loco, ubi primum vox χώρα occurrit ut materiae nomen, cetera, quae de hac re disputaverit Plato dixerim esse illustranda, discrimen in interpretatione est statuendum inter eos locos, qui ante illum extant de materia passim agitata et eos, qui eum subsequuntur. Nam qui Platonem sibi non contradicere est demonstraturus,

ante demonstret necesse est, Platonem Tim. pag. 30, A, 43, A, B, 46, C. sqq. 48, A. sic loqui, ut, quod postmodum sit dicturus, his locis non refragetur, fierique possit, ut res primum quasi in praetereundo attacta — nam in omnibus his locis non de materia, quid proprie sit, agi, sed tantum anticipando quandam ejus notionem longe non expressam adumbrari vix quis neget — postea, ubi seorsim de ea sit acturus, recte intelligatur. Loci autem, qui sunt post Tim. pag. 52, B, C, siquidem et ad materiam sunt referendi neque, aperte sibi Plato ipse repugnat, ita accipi debent, ut auctor in iis ea, quae 52, B, C. exposuit, supposuisse et rem recte intellectum iri arbitratus esse videatur. Qua de re propterea primum non dubitandum esse puto, quia Plato inde a pag. 52, D. (*Οὗτος μὲν οὖν δὴ παρὰ τῆς ἐμῆς ψήφου* cet.) usque ad pag. 53, C. facit transitum a capite de materia ad caput de mundo sensibili[1]) simulque declarat, quomodo ex materia illa primitiva (*χώρα*) factum sit illud chaos perquam rustice se gerens sive materia secundaria. Dicit enim principia esse mundi et *πρὶν τὸν οὐρανὸν γενέσθαι* extitisse *ὄν, χώραν, γένεσιν.* Id autem mihi perspicuum esse videtur hoc *εἶναι πρὶν τὸν οὐρανὸν γενέσθαι* non verbotenus de tempore antecedente coeli exornationi, quo haec tria fuerint, esse cogitandum. Nam primum, si quis rem ad tempus referat, quae potuit esse *γένεσις πρὶν τὸν οὐρανὸν γενέσθαι?* Sed etiam — id enim, quod modo dixi, nondum ad id, quod volo, demonstrandum plane sufficere arbitror — et negat Plato tempus ante coeli exornationem fuisse[2]) et, quid sit illa *γένεσις* et quomodo cum iis, quae ante dicta sunt, et cum tota Platonis philosophia congruat, videant illi, qui locum nostrum non ita accipiunt, ut philosopho ad mundi visibilis explicationem notiones *τοῦ ὄντος, τῆς χώρας, τῆς γενέσεως* esse statuendas et exponendas, antequam ad mundi ipsius descriptionem accedat, Timaeus doceat. *Γένεσις* igitur est ratio, quae intercedit inter ideas et materiam seu modus se invicem determinandorum positivi et negativi rerum sensibilium principiorum. Pergit Plato post

---

[1]) Vide pag. 14 et 15.

[2]) Tim. pag. 37, D.

haec verba ipsam γένεσιν describens. Suscipit materia elementorum formas varias, sed non secundum regulam et aequabiles modos dispositas, quare concutitur et vehementer agitatur; elementa quasi cribro purgari atque similia similibus adjungi et suum quodque locum obtinere incipiunt; sed adhuc omnia εἶχεν ἀμέτρως et ἀλόγως, quomodo rem decet se habere absque deo, a quo, quae tunc secuta, exornatio atque ad numeros certos modosque rerum naturalium dispositio est profecta.

Hunc, cujus modo breve dedi argumentum, locum si spectamus, non dubitare possumus, quin maximi is sit momenti ad illustrandam eam, quae intercedat inter primitivam et secumdariam materiam, rationem. In eo autem id discrimen videtur situm esse, ut secundaria jam quodammodo ideis sit affecta sive permixta, primitiva vero nullam habeat substantiam, nihil ideis simile; secundaria est negativum aliquid conjunctum et oppositum momento positivo, vacuum inter corpora et corpora inter se dirimens cum ipsis corporibus. Sed quod praeterea hic doctum videtur, non facere possum, quin Platonis veram atque nudam metaphysicam sententiam esse negem. Ex ideis enim cum constet figuras elementorum profectas esse, secundum nostrum locum et alios etiam Timaei apparet hanc materiam secundariam non solum, ut jam dixi, ex rebus ab ideis ductis, id est elementis et primitiva, compositam esse, sed etiam hoc demum statu videtur a deo exornari ac conformari coepta. Hoc dico: materiam primitivam, quae plane erat nihil substantiae, quodammodo aliquantularum idearum particeps facta in chaos turbatum et immoderatum est mutata. Id autem, quod ex ideis profectum jam erat in materia secundaria, non valuit ad mundum, ut nunc est, θεὸν γεγεννημένον exornandum, opus erat dei insuper operatione. Porro, si, quod saepe fit, opponuntur inter se dei providentia et altera ex parte materia immoderate agitata, quid sequitur? Ut id, quod divini jam inest materiae secundariae, non dei providentia inciderit in materiam primitivam seu χώραν, sed casu fortasse quodam; videtur aliquid ex ideis, id est elementorum formae, quamvis rudes etiamtunc in materiam defluxisse invito deo et effecisse hoc chaos,

quod describitur nostro loco; divini aliquid se junxit cum eo, quod oppositum est divino, et providentiae operatio, qua mundus dispositus et perfectus est, simillima est reconciliationi cuidam. Ecce gnoseos Valentinianae fundamenta egregie a Platone jacta! Fac elementaria corpora τὴν κάτω σοφίαν, invenies fortasse in anima mundi τὸν σωτῆρα et habebis in Timaeo gnoseos compendium — sed vehementer vereor, ut summi philosophi librum praeclarissimum serves. Nam quidnam dicit Plato disertis verbis de anima mundi? Prius eam fuisse, quam corpora extiterint, ergo etiam ante necessitatem et causam erraticam et materiam secundariam [1]). Propter quem locum et ejus similes maximas habeamus Platoni gratias; nam modo id, quod divini est in mundo, modo id, quod oppositum est, prius tempore statuendo significat, quomodo velit acceptum illud: ante coeli exornationem non fuisse tempus, id est totam illam temporum et quasi comoediae actuum successionem in mundo exstruendo vult pro fabula vel certe pro eo, quod non ad id, quod dicit, pertineat, haberi. Nam etiamsi quis negare possit id, quod equidem pro certo habeo, philosophum, quatenus sit philosophus, historiam mundi nascentis omnino non reddere posse, sed tantum aut causalem deductionem — verbo sit venia — id est, quae causa absoluta sit mundi et quatenus eadem causa mundi sit, aut analysin substantiae, id est, quid universum sit et quid ejus absoluta substantia, tamen eum, qui spectet innumeras contradictiones, in quas Platonem praecipitemus, si loquamur de periodis mundi nascentis in Timaeo descriptis, intellecturum puto Platonem, quatenus fuerit philosophus et philosophis scripserit, nihil voluisse, nisi hunc mundum, ut est, et quem adspexit et nos adspicimus, ex iis, quae antea jecerat fundamenta, principiis metaphysicis construere ac intelligere. Id vero fieri debebat ex duobus principiis illis, ex ideis et materia, nam non solas etmeras ideas in mundo vidit philosophus sed etiam negationem idearum. Duo autem principia si in rebus conjunguntur, haec conjunctio est diversa quantitate seu gradu, id est: modo illud, modo hoc praevalet in di-

---

[1]) Tim. pag. 34, E.

versis rebus singulis, quae, si per se spectantur, portionibus ex universi bene dispositi nexu abscissis sunt similes. Qui igitur his fundamentis jactis ordine vult philosophari, aut positivum momentum magis magisque adjiciat admisceatque negativo, necesse est, aut vice versa rem expediat. Plato vero, cum mundum quam maxime perfectum haberet et ideis similem, aptissimum ratus est ex statu minime perfecto ad perfectiores quosque deinceps eum perducere, non, ut quomodo factus sit mundus in temporum successione, doceret, sed explicaret mundum, qualis sit, ex suae philosophiae principiis. Scilicet saepissime in Platonis philosophia cogitationes notionesque inter sese subsequuntur, non item res cogitationibus respondentes — an forte est aliquis, qui detexerit in ideis nexum vere causalem, quem nos dicimus, cum rebus sensibilibus, sive qui deduxisse Platonem ex ideis mundum invenerit ita, ut ex idearum natura sequatur necessario, ut mundus sensibilis et quidem talis, qualis est, existat? Nos quidem, ne utrum factus quidem, necne sit mundus, Platonem curasse putamus eo sensu, quo nos curamus, scilicit utrum ex aliqua causa sit a se diversa, an sit sui ipsius causa.

Sed haec jam satis superque ad materiam illam a primitiva distinguendam, quam secundariam vocavimus, neque amplius a re proposita digredi volumus. Quamquam accedit inter alterutram etiam id discrimen, ut secundaria materia mota sit, primitiva vero motu prorsus careat. Et id quidem non temere. Materia enim primitiva prorsus immota immutabilisque, item ideae seu τὸ ὄντως ὄν aeternae substantiae sine ullo motu et mutatione. Ideae autem si negatione sua afficiuntur vel si materiae aliquid positivi additur, existit motus, qui esse non potest nisi duobus illis principiis, ideis et materia, conjunctis. Hic autem in materia secundaria — id quod maximi est momenti — minimum aliquid idearum cum magna vi materiae sive minimum positivum cum multa negatione cogitatione componitur, qua de causa existit motus indispositus et turbulentus, quo vero crescit modo idearum dominatio, id est quo magis idearum natura exprimitur in rebus sensibilibus, eo minor fit motus turbulentus; ille vero motus circularis in se ipsum semper revertens et im-

mutabilis aeternusque siderum perfectissimus est et accedit, quam proxime in mundo sensibili fieri potest, ad aeternarum substantiarum immutabilem immotamque naturam. Quod cum respicimus, egregie videtur Plato animam mundi naturam ex materia et ideis perfectissime temperatam, quippe quae sit principium motus bene dispositi et propterea divini, descripsisse. Sed neque iis, quae hoc loco de materia passim agitata dicta retuli, refragatur, quod Plato alias [1]) animam fecit omnis motus principium, quippe quae se moveat ipsa et a qua omnis motus proficiscatur, nec sequitur ex eo, quod sine anima motus omnino est nullus, ut materiae secundariae adscribatur anima, siquidem quis intelligat, materiam secundariam omnino nunquam et nusquam fuisse — id quod quare ita se habeat, antea jam satis significasse mihi videor — sed cogitatione tantum a philosopho fingi.

Denique vero nunc primum, quid sint causae auxiliares seu *τὰ ξυναίτια* ac quatenus ad rem nostram pertineant, recte intelligere possumus. Dicit enim Timaeus pag. 46 respiciens ad elementorum motus, qui rursus movent hominum sensus: „*ταῦτ᾽ οὖν πάντ᾽ ἔστω τῶν ξυναιτίων*“; quae non esse cum causis (*αἰτίοις*) confundenda. Est enim genus causarum duplex, alterum id complectens, quod rationis particeps est et se movet ipsum, alterum, quod ratione est expers et ipsum ab alio motum alia movet necessitate. Illud anima est vocandum, hoc anima expertia sunt intelligenda corpora. Quae *ξυναίτια* — omnia enim, quae non pertinent ad rem nostram, transeo — secundum ea, quae modo dicta sunt, nemo ita poterit accipere, ut motas eas quadam necessitate ab anima mundi non dependente dicat, sed nulla alia ratio intercedit inter *τὰ ξυναίτια* et *τὰ αἴτια*, nisi quae est inter corpus et animam, e quibus alterum ab altera se ipsam movente movetur. Quod satis aperte significat Plato, cum dicit causas auxiliares *ὑπ᾽ ἄλλων* moveri, *ἕτερα δὲ ἐξ ἀνάγκης* movere. Ea enim, quae ab aliis moventur, si recedimus ad extremam seu primam omnis motus causam, ab eo, quod se ipsum movet, moveri debere ex Platonis sententia, ergo ab anima, facillime conjicitur.

---

[1]) Phaedrus, pag. 245.

Neque illud quidem „*καὶ ὅσαι μονωθεῖσαι φρονήσεως τὸ τυχὸν ἄτακτον ἑκάστοτε ἐξεργάζονται*“ turbet quemquam; nunquam enim corpora omni vacant cum anima conjunctione, quatenus moventur omnia; sed quo magis distant motus causae ab anima, prima causa, id est, quo plures res ab aliis motae sunt inter singulam rem et animam, eo magis motus fit *ἄτακτος*, nihil vero, quod movetur, plane et absolute *ἀτάκτως* movetur; unum enim et solum illud, quod sine omni cum anima et cum ideis est communione, materiam dico primitivam, motu prorsus caret. Sed quae de anima sunt dicenda deque rebus similibus, vereor, ne et longa sint nimis neque satis ad nostram rem intelligendam faciant. Quare, quae hactenus dicta sunt, ad metaphysicam physicamque, ut ita dicam, materiae vim illustrandam sufficiant, pergendum autem ad cetera.

Caput IV.

De materiae notione, quomodo in intellectum cadat.

Quo tandem modo mens nostra materiae cognitionis fiat particeps, cum Platone disquisiturum difficillimum esse hoc problema vix fugiet. Primum enim, cum appareat, Platonem ad ideas tales, quales posuit, describendas adductum esse eo, quod id, quod vera scientia et ratione percipi posset, per se et a rebus sensus moventibus disjunctum esse debere — intime enim inter se junctas esse eas idearum qualitates, ut essent substantiae utque a ratione sola cognoscantur — arbitratus est, sequi videtur, ut materia, quippe quae substantia careat ideisque sit opposita, quin etiam ipsa efficiat, ut res mundanae non tam firma atque distincta quam ideae cognitione intelligi possint, sequi igitur videtur, ut materia omnino non possit cognosci. Nec non hoc Plato intellexit. Quare, quamquam uon poterat supersedere principio illi negativo aliquo saltem modo definiendo, tamen *χαλεπὸν καὶ ἀμυδρόν, δυσαλωτότατον, μεταλαμβάνον δὲ ἀπορώτατά πῃ τοῦ*

νοητοῦ [1]) appellat et quae reliqua a nobis mox considerandа significant difficultatem, in quam in hoc systematis sui loco inciderat. Accedit, quod ex iis, quos in libris de republica enarrat, quatuor modis cognoscendi, νόησιν, διάνοιαν, πίστιν, εἰκασίαν [2]), nullus ad materiam referri potest. Nec temere mihi videtur semper minus, quomodo, quam quomodo non cognoscatur materia, dicere, si verborum, quibus uti solet, naturam respicimus, ut „μετ' ἀναισθησίας, νόθος, λογισμός, μόγις πιστόν, ὀνείρωξις," in quibus, ut ita dicam, omnibus dominatur qualitas negativa.

Haec, ut intelligamus, quam difficilis sit res, quanta igitur cautela utendum in ea tractanda, quam denique, si opera data obscuram nihilominus rem manere viderimus, non indignandum, sufficiunt. Ad rem autem ipsam ut accedamus, primum quidem verba illa gravissima „αὐτὸ δὲ μετ' ἀναισθησίας ἁπτὸν λογισμῷ τινι νόθῳ, μόγις πιστόν" respiciamus. Ἀναισθησία igitur et νόθος λογισμός quid tandem significant? Ἀναισθησία in Philebo is vocatur habitus animae humanae, qui obtinet, si corpus aliqua re externa afficitur, extinguitur vero in corpore nec pervenit ad animam usque affectio [3]). Quod optime quadrare videtur ad materiam. Nam corpus quidem cum ipsum sit natura γιγνόμενον, debet, uti omnes res naturales, materia effectum esse et ex elementis, quae, ut ante descriptum est, τῇ χώρᾳ sunt immissa et ab ea circumdata, constare. Ad animam ipsam autem non penetrare potest sensus materiae, quamquam ipsa non prorsus ea caret, nam mens — hic enim de anima quatenus mens est, loquimur — aut per τὴν δόξαν τὰ γιγνόμενα cognoscit aut per τὸν νοῦν τὰ ὄντα, quorum neutrum, nec τὸ γίγνεσθαι dico nec τὸ εἶναι, contingit τῇ χώρᾳ seu materiae. Per sensus igitur omnino non

---

[1]) Haec dum respicio, id quod Ritter (Geschichte der Philosophie II. Theil, zweite Auflage pag. 361, 3) dicit „Man vermuthet wohl nicht mit Unrecht, dass Plato hier mit Fleiss solcher sich widersprechender Ausdrücke sich bedient, um die Undenkbarkeit dessen, was den Ideen entgegengesetzt ist, zu bezeichnen" videntur non injuste dicta.

[2]) cf. pag. 8, adnot. 2.

[3]) Phileb. 33, D.

percipitur, nec per rationem, sed per νόθον λογισμόν. Quo in exponendo, quid sit, vehementer cavendum, ne nostra etiam ratiocinatio sit infanti illegitimo comparanda. Λογισμόν significare ratiocinationem, actum igitur mentis non instrumentum seu partem seu vim aliquam patet; λογισμῷ id cognoscitur, quod non recta quasi via percipitur a mente ut res, quae sensus movent et aeternae etiam substantiae, quas ratio pura intuetur, sed quod concludendo ducitur ex praemissis: nunquam vero plane se potest liberare ejusmodi cognitio a nexu cum rebus sensibilibus. Λογισμός est igitur τῆς διανοίας, quae imprimis ad mathematicas res refertur. Aptissime igitur Plato dicit λογισμῷ percipi materiam, quoniam et nomen χώρα est matheseos et, ut supra demonstravi, philosophus in notione illius principii metaphysici determinanda mathematicis disciplinis et notionibus praecipue usus est.

Sed cur νόθον λογισμόν vocat? Si eas res, a quibus proficiscitur ea, ex qua sequitur materiae notio, ratiocinatio, spectamus, eo videtur „νόθος" referendum, quod λιάνοια et δογισμός, quippe qui proprie rem habeant cum geometricis rebus, tractant res et substantias ideis affines, id est corpora, plana, lineas, quales per se sunt, quibusque — id quod hic praecipuum est discrimen notandum — non competit extra se invicem esse seque invicem excludere ita, ut, ubi aliud ex iis est, aliud esse non possit; νόθος vero ille λογισμός proficiscitur a rebus mathematicis non pure mathematicis, id est, quatenus loco sunt diversae inter se, seu, quippe materia circumdatae, extra se invicem; et concludendo pervenit ad principium hujus diversitatis, materiam, χώραν. Λογισμός igitur est νόθος primum, cum non capessat, a quo proficiscatur, purum principium, quin immo non, ut proprie et per se sunt res, accipiat eas, sed magis, quatenus non sunt, id est, quatenus materia seu χώρα affectae. Tum vero, quod magis etiam videtur urgendum esse, ex eo, quod efficit, vocatur νόθος hic λογισμός, scilicet νόθον aliquid efficit. Etenim si imaginem, qua hic utitur Plato, volumus prolixius evolvere, haec etiam esse videntur, quae inter se comparat. Λογισμός noster νόθος est quasi coitus illegitimus, ex quo generatur aliquid νόθον; init ratio quasi matrimonium cum ejusmodi objecto,

quod ipsius naturae dignitate longe est impar; respondet enim rationi substantia, seu est altera alterius legitima conjux; cum autem *νόθον λογισμὸν* ratiocinatur, cum non-substantia cumque eo, quod non-ens est in rebus sensibilibus, coit ratio, quapropter partus *νόθος* inde existit, scilicet materiae notio.

Illud vero „*μόγις πιστόν*" est etiam obscurius. *Πίστις*, quam Plato primam dicit esse in Republica [1]) *δόξας* speciem et proinde perfectiorem, id est idearum cognitioni propiorem quam *εἰκασίαν*, videtur esse, si quis conferat Philebum [2]), logica, *εἰκασία* vero symbolica — brevibus terminis utor a Susemihlio adhibitis, quocum hic plane conspiro — opinio, quae sic inter se differunt ut scriptor et pictor. Quare hoc etiam id, quod jam attigi, significari suspicor materiam magis cogitando quam intuendo, magis obliqua et, ut nos dicere solemus, per reflexionem, quam recta via ad animae nostrae perceptionem venire, et quidem *μόγις*, id est aegre et vix adaequate. Sed confiteor me hic non sperare fore, ut, si quis rem accuratius investigare studeat, Platonis sententiam plane perspicuam reddat periculumque alienorum inferendorum plane effugiat. Neque enim satis constat Platonem, *πίστις* quid sit, unquam plane distincte definivisse et semper eundem hujus termini usum retinuisse, et est verisimillimum in ipso nostro loco propter rei difficultatem notiones virium, per quas mens assequitur cognitionem, aliquo modo confusas et obscuras factas esse; quotiens enim lego hunc locum, suspicio mihi oboritur hic non suffecisse doctrinam illam de facultatibus animae ad cognoscendum pertinentibus — id quod vernacule vocamus „Erkenntnisstheorie" — Platonemque ipsum hoc sensisse, sed obscuritatem rei offusam non plane tollere potuisse, quin philosophiae suae principiis quodammodo officeret.

Pergamus igitur ad reliqua. Dicit Plato effici de materia quandam opinionem falsam, quam cum somnio aptissime comparat. Materiam enim cum spectamus, fit, ut somniemus dicentes nihil omnino esse, quod locum et spatium non obtineat. Hoc Platonis

---

[1]) cf. pag. 8, ad not. 8.

[2]) Phileb. 38, E, 39, A et quae sequuntur.

ex sententia manifesto est falsum, nam ideae sunt extra locum; somnii autem est, ut non-ens pro ente ponat. Eo vero somnio, quod constat in opinione illa falsa, qua rerum verae substantiae id adnumeramus, ut sit in spatio, fit, ut neque ad verae substantiae cognitionem pervenire neque a rebus sensibilibus eam recte dignoscere possimus. Sic privamur recta sententia: res sensibiles, quippe substantiarum aeternarum imagines, cum non sint ipsarum earum, propter quas extant, substantiae sed semper extent substantiarum a se diversarum mutabilia phaenomena, propterea oportet eas aut in alio quodam esse ita, ut quodammodo vel aliquatenus tantum substantiae participes sint, (id est substantiae negatione sui ipsius affectae) aut omnino nihil esse. Quod autem ad ideas attinet, perspicuum est ex ratione et sine ullo dubio verum, eas in se tantum neque in ullo alio esse neque unquam cum alio conjunctas et easdem esse posse.

Haec mihi videntur esse, quae Plato quasi summam doctrinae de materia, ad rationem et ideas quomodo se habeat, posuerit. Et quidem egregie. Hoc enim ex loco, et quomodo extiterit sententia et quomodo cum tota Platonis philosophia sit nexa, perspici et intelligi optime potest. Verba vero ipsa philosophi sunt magis ob profunditatem rerumque gravitatem quam dictione obscura, quare eum, qui Platonis doctrinam bene habeat perspectam, vix possunt in errorem inducere, sed, si quis non teneat principia ac fundamenta philosophiae Platonicae: ideas solas esse substantias easque transcendentes, verba non tam omni earent ambiguitate, ut vehementer is, qui interpretatur, errare non possit. Quare nonnulla etiam sunt adjicienda ita, ut Platonicae philosophiae fundamentorum ratione habita haec, quae nostro loco docet Timaeus, illustrentur et, quomodo recte, quomodo non sint interpretanda, sine ullo dubio confirmatur.

Priora quidem verba inde a „*πρὸς ὃ δὴ καὶ*“ usque ad „*οὐδὲν εἶναι*“ faciliora sunt, quam ea, quae sequuntur, sed ad posteriora recte intelligenda non pauca conferunt. Dicit Plato falsam esse illam sententiam, qua omnia, quae sint, in spatio esse dicamus. Ex vera autem materiae cognitione non sequitur illa falsa opinio, id quod Platonem intellexisse non indi-

get demonstratione; ex falsa igitur materiae notione judicamus omnia, quaecunque sint, in spatio id est in materia esse. Jam vero, cum, ut jam dixi, hoc judicio rerum substantiae id adnumeremus, ut sint in spatio, cumque hoc judicium non possit stare, nisi spatium et ipsum substantia sit, elucet Platonem dicere: quia falso materiam seu spatium pro re aliqua, quae sit, habemus, falso etiam concludimus rem, quae non sit in spatio, prorsus non esse. Negat igitur primum materiam esse substantiam, tum substantias illas transscendentes in materia esse, seu, si verbis barbarissimis venia est, primum substantialitatem materiae, tum materialitatem substantiae. Quae cum ita sint, apparet illa, quae sequuntur „ταῦτα δὴ πάντα usque ad καὶ δύο γενήσεσθον“ ita accipi non posse, ut Plato propter hanc ipsam falsam sententiam: res, nisi in spatio sint, omnino non esse, neget nos posse verum hoc judicare; res sensibiles, cum idearum substantia iis non insit, sed imagines illarum tantum sint fluctuantes, aut ex materia debere mutuari substantiam, aut omnino carere substantia. Nam etiamsi hoc, quod ex Platonis sententia nunquam fieri poterat, verum esset, non tantum ex prioribus illis non sequeretur, sed etiam iis repugnaret; nec poterat Plato negare materiam esse substantiam et statim post dicere rerum sensibilium substantiam e materia venire, quoniam eandem, quae est idearum, dignitatem non possent istae res obtinere. Sed maxime etiam totius Platonicae philosophiae indoli et principiis esset contrarium, si idem, qui totiens ideas solas esse veras substantias affirmavisset, res sensibiles ex materia aliquam substantiam trahentes faceret. Neque vero is, qui persuasum habet Platonem tam aperte non potuisse deficere a principiis suis neque adeo non sibi constare, dubitare poterit, qui sit vere Platonicus horum verborum sensus: scilicet verba „οὐσίας ἁμωςγέπως ἀντεχομένην“ non significant, cur imagines in alio fieri oporteat, sed, quid ex eo, quod imagines sint et in alio fiant, consequatur, describunt. Quia rebus sensibilibus non possumus perfectam, quae solis ideis contingit, adscribere substantiam, sequitur, ut iis aut aliquam negatione affectam aut prorsus nullam adscribamus. Hoc vero — omnino nos negare τὸ γιγνόμενον — vetat sensuum

experientia, ponendum igitur in rebus sensibilibus aliquid substantiae simile, non vero purum, ut in ideis, sed imperfectum, negatum. Sive, ut brevissima utar formula: ex transcendentia substantialitateque idearum sequitur, ut immaneat rebus sensibilibus adhaereatque non-substantia seu negatio. Hoc vero negativum momentum est materia sive *χώρα*.

Caput V.

De „*ἀπείρῳ*" quod occurrit in Philebo.

Dicendum nunc est de *ἀπείρῳ* illo, quod occurrit in Philebo inde a pagina 15, B. Nexum enim internum intercedere inter id, quod hoc in loco disputat Plato, et id, quod legimus in Timaeo de materia, vix quisquam neget. Locus autem quippe propter sententiarum verborumque aciem, ne dicam argutias, difficillimus, sed gravissimus et sane dignus, qui penitus intelligatur. Sed ne statim in errores de eo, quod velit ostendere Plato, incidamus, primum est monendum hic genus dicendi dominari, ut ita dicam, logicum seu dialectum, non metaphysicum aut physicum. Quamquam enim ideae, quae hic *μονάδες* — quod cur fiat, mox videbimus — vocantur, *ἀληθῶς οὖσαι* dicuntur, et alia etiam, quae ad earum aeternam substantiam definiendam pertinent, adjiciuntur, tamen hoc quasi in praetereundo monetur, caput autem est, ut, quatenus in ideis unum et multa idem sint, demonstretur: quod nihil aliud est nisi expositio de notionum partitione logica, in qua notiones angustiores partiendo ex latioribus ducuntur, latiores autem angustioribus inter se collatis et conjunctis effinguntur. Hoc spectans jam pag. 15, B. dicit Socrates ideam *ἐν τοῖς γιγνομένοις καὶ ἀπείροις διασπαρμένην καὶ πολλὰ γεγονυῖαν θετέον* et in iis, quae proxime sequuntur usque ad pag. 20 hoc latius exponit, sed missa illa metaphysica hujus sententiae difficultate, quae oritur ex transscendentia (*τὸ χωριστὴν εἶναι*) ideae, logicam tantum notionum inter se rationem et, ut ita dicam, *γένεσιν* respiciens. Nam intelligere idem esse unum et multa atque hoc adhibere ad unam-

quamque rem nondum est scire aliquid, quippe quod origo sit inextricabilis apud multos confusionis. Quae nonnisi hoc modo potest effugi. Omne, quodcunque esse dicitur, est ἐξ ἑνὸς καὶ πολλῶν, habet autem πέρας et ἀπειρίαν in se conjuncta. Id eam habet vim, ut in cogitando semper primum statuatur una amplissima notio generalis, tum, quot species ea proximas in se complectatur, tum hae species rursus, quot inferiores contineant species. Sic est pergendum, donec intelligatur, id, quod primum unum erat positum, non tantum unum et multa et ἄπειρα esse, sed etiam, quot sint ejus species. Tum demum, cum amplius divisio generum procedere non poterit, ad ἄπειρον erit perventum. Apparet igitur τὸ ἕν, quod est in unaquaque re, esse notionem generalem, τὸ πέρας definitum illum specierum numerum, ἄπειρον autem individua, quae non jam possunt cognosci generibus et speciebus a ratione definitis; quare etiam cum γιγνομένοις 15, B. componuntur. Exemplum sequitur ejusmodi partitionis, quae conspicua est in voce, quatenus ea habet altitudinis innumeros gradus et tamen et est una et in certa intervalla per harmonias dividitur.

Sed est etiam alia ad id, quomodo unum et multa unaquaeque idea sit, cognoscendum via ab ἀπείρῳ initium faciens ita, ut ibi primum certae species reperiantur, tum in genera, denique vero in unum genus, quod omnia complectatur, conjungantur. (18, B. sqq.) Leguntur deinde alia, quae ad nostram rem minus pertinent, sed inde a pag. C rursus occurrit τὸ ἄπειρον. Dicit enim Socrates τὰ ὄντα in quatuor genera esse dividenda: τὸ μὲν ἄπειρον, τὸ δὲ πέρας (seu πέρας ἔχον pag. 24, A.), τὸ δὲ τρίτον ἐξ ἀμφοῖν τούτοιν ἕν τι ξυμμισγόμενον, finem vero facit τῆς ξυμμίξεως τούτων πρὸς ἄλληλα αἰτία. Quodsi adhuc satis apparuit, τὸ ἄπειρον ideis opponi, cum, simulatque ideae desinunt ad ἄπειρον perveniatur, ex eo tamen, quod Socrates dicit, se de ἀπείρῳ etiam velle monstrare, quatenus unum et multa sit, videmus eum etiam nunc logice tantum, non metaphysice disputare i. e. non refert, utrum haec, quae enumeravit, sint principia essendi, an cogitandi solum. Dicit enim τὸ ἄπειρον omnia ea in se complecti, quae φαίνηται μᾶλλόν τε καὶ ἧττον γιγνόμενα καὶ τὸ σφόδρα καὶ ἠρέμα δεχόμενα, hisque adnumeran-

tur (25, C.) θερμότερον καὶ ψυχρότερον, ξηρότερον καὶ ὑγρότερον, πλέον καὶ ἔλαττον, θᾶττον καὶ βραδύτερον καὶ μεῖζον καὶ σμικρότερον, nam omnia haec ἀπείρου sunt naturae, quia τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον iis contingit. Quo in genere pag. 31 A. ponit etiam ἡδονήν. Sed etiam, quae reliqua tria sint genera, ut ἄπειρον recte intelligamus, videndum. Primum enim patet e pag. 16, C, sqq. omnia, quae „unum" vocantur, eatenus habere in se τὸ πέρας, quatenus in definitum at certum specierum numerum dividuntur, idemque videtur esse id, quod dicitur pag. 23, C πέρας et pag. 24, A πέρας ἔχον; et pag. 25, D describuntur ea, quae τῷ πέρατι adnumerantur, hoc modo: τὰ δεχόμενα τὸ ἴσον καὶ τὴν ἰσότητα, τὸ διπλάσιον καὶ πᾶν ὅ τί περ ἂν πρὸς ἀριθμὸν ἀριθμὸς ἢ μέτρον ἢ πρὸς μέτρον, nec non ea, quae opponuntur pag. 24, C τῷ ἀπείρῳ, ποσὸν, μέτρον τὸ πέρας significare patet, denique vero pag. 25, D iterum definitur familia τοῦ πέρατος ita: τὴν τοῦ ἴσου καὶ διπλασίου, καὶ ὁπόση παύει πρὸς ἄλληλα τἀναντία διαφόρως ἔχοντα, σύμμετρα δὲ καὶ σύμφωνα ἐνθεῖσα ἀριθμὸν ἀπεργάζεται.

Statim vero post haec verba de iis loquitur philosophus, quae fiant e τοῦ ἀπείρου et τοῦ πέρατος conjunctione, quorum exempla profert bonam corporis valetudinem, musicen et alia, quae in rebus mundanis certis modis numerisque sunt composita reguntur que. Egregie vero tertium hoc definitur pag. 26, E. γένεσις εἰς οὐσίαν ἐκ τῶν μετὰ τοῦ πέρατος ἀπειργασμένων μέτρων.

Denique quartum αἰτία seu τὸ ποιοῦν opponitur tribus illis, in quibus et τὰ γιγνόμενα et ea, ἐξ ὧν γίγνεται πάντα continebantur.

Sed haec hactenus. Jam enim apparere arbitror Platonem hic non multum abesse, quin applicet ad metaphysicen etiam eas, quas modo exposuit magis logice et, ut dicere solent, propaedeutice, notiones. Quis enim est, quin sciat, quam intimus sit nexus apud philosophum nostrum inter principia cognoscendi et principia essendi seu inter dialecticen et metaphysicen. Et quidem τὸ ἄπειρον metaphysice sue physice sumptum, quo sit referendum, vix potest esse dubium. Αἰτία enim ideas significat, substantias aeternas et propter id ipsum causas rerum sensibilium, τὸ πέρας

ordinem certum rerum, numeros seu ea, quae anima mundi praecipue dicitur efficere in Timaeo, motum dico dispositum, aequilibrium virium et ejusmodi reliqua, *τὰ ξυμμισγόμενα* vero res sensibiles seu *τὰ γιγνόμενα* in Timaeo, quatenus recto ordine moventur reguntur-que. Restat igitur, ut *ἄπειρον* obtineat materiae locum, dicendumque erit *ἄπειρον* idem esse ac *χώραν*, sed generaliter magis et latissime patente sensu sumptum id est et logicam et ethicam et metaphysicam physicamque habere vim ac significationem, ita ut omnia, quae in sensus cadunt vel etiam sensu interno percipiuntur ut *ἡδονή*, quatenus sunt ratione non intelligenda nec certis definienda modis, *ἄπειρα* vocentur, quod Branisz laudans Platonem brevissime denotavit hisce verbis „das Sinnliche in seiner Endlosigkeit" [1]). Ea vero, quae in Timaeo de materia disputat philosophus, eandem notionem vel certe simillimam et cognatam adhibent accomodantque ad physicen id est ad mundi sensibilis constructionem [2]).

Caput VI.

Summa.

Retro nunc nos vertamus et, posteaquam ea, quae in Platonis libris extant ad ejus de materia sententiam illustrandam, quantum potuimus, deligenter recensuimus, id rursus adspiciamus, a quo sumus initio profecti. Quid igitur tandem est materia Platonica? Utrum est aliquid, an nihil est? Respondimus quidem jam in iis, quae ante sunt dicta, sed et adjicienda etiam sunt nonnulla et res quam brevissime comple-

---

1) System der Metaphysik. Breslau 1834. pag. 104.

2) Quare, si et Timaeum spectamus et eos Philebi locos ubi *ἄπειρον* ponitur id, ex quo fiant res, missis etiam illis *ἀγράφοις δόγμασιν*, de quibus nondum quaerimus, huc referre poterimus illud Aristotelis (phys. auscult. III, 4) de *ἀπείρῳ* dicentis: *πάντες ὡς ἀρχήν τινα τιθέασι των ὄντων, οἱ μὲν, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι καὶ Πλάτων, καθ' αὑτὸ, οὐχ ὡς συμβεβηκός τινι ἑτέρῳ, ἀλλ' οὐσίαν αὐτὸ ὂν τὸ ἄπειρον.*

ctenda, definienda, judicanda. Primum igitur dubium esse non potest, quin Plato ita describat suam materiam, ut, quod nos dicere assuevimus „Sein," ei vix tribuere possimus, sive essentiam (Wesen) sive existentiam (Dasein, Wirklichkeit) intelligamus Nam Plato aperte et solis ideis id tribuit, ut sint, et materiam opponit ideis et id dicit esse, a quo proficiscatur, quidquid sit negativi idearumque naturae dissimile in mundo sensibili. Quare materiam Platonis cum Aristotele μὴ ὄν vocari posse concedo, quamquam hoc nomen plane probare non possum. Primum enim, quominus bonam et ad rem intelligendam aptam dicam hanc denominationem, impedit, quod Plato ipse ad materiam designandam ea non usus est; tum vero, id quod maximum est, μὴ ὄν in Platonis libris — vel certe, ne cui nimis critices videar im peritus, in iis, qui adhuc pro Platonicis a plerisque habentur — Sophista et Politico, aliud significat, quod est a materia plane diversum, quodque, cum ad nostrae rei cognitionem nihil conferat, non uberius placet exponere, quam ita, ut dicam μὴ ὄν id esse, quod attribuatur unicuique ideae, quatenus ab alia qualibet et ab omibus aliis unâ sumptis differat.

Quare eatenus non-ens dicemus materiam, quatenus Plato prorsus ei abjudicavit id, quod se per verbum „esse" intelligere declaravit in ideis, id est intelligibilis atque aeternae substantiae transscendentis naturam, ut, quod antea jam exponere conâtus sum quodque accuratius enucleare ejus est, qui ideas tractet, barbaris sed brevibus dicam. Sed neque Rittero adstipulari poterimus, qui omino ex iis, quae extra mentem humanem sunt, ejicere facit Platonem materiam, acsi Plato dixisset materiam οὐδὲν ἄλλο εἶναι πλὴν λόγον id est nihil aliud nisi imaginatum aliquid seu nostri animi affectionem. A quo longe puto Platonem abfuisse, ut Zeller satis mihi videtur demonstrasse. Neque Zelleri quidem ipsius modum, quo rem accipit, summamque, ut ita dicam, totius articuli componit [1]) in eo probare possum, quod vocat materiam „das Nichtsein, das Aussereinander". Nam, qui eo modo definit Platonis materiam, dicit Platoni fieri

---

[1]) Die Philos. d. Griechen II, 1. pag. 468 et 469.

materiam ex abstractione, quod Aristoteles ἐξ ἀφαιρέσεως, ita ut extra cogitationem nostram nihil sit nisi qualitas quaedam negativa rebus sensibilibus adhaerens, non autem aliquid, quod h a b e a t qualitatem, quamvis negativam. Ejusmodi vero ἀφαίρεσις mihi a Platonicae philosophiae indole videtur abhorrere, neque Aristoteles, si Plato materiam intellexisset „die blosse Form der Materialität", dicere poterat ejusmodi rem esse ἀρχὴν neque ἀνάλογον facere ei, quod ipse ὕλην vocaverat. Zeller igitur mihi id idem, quod in Ritteri sententia recte improbavit, ipse non plane evitasse videtur in eo certe, quod „objectivitatem" materiae haud scio an nimis tollat, cum pro forma tantum seu qualitate negativa habet. Nam, quamvis non negem, Platonem, si hoc modo materiam intellexisset, non in tantas incidisse difficultates, quas rei obversari videmus, tamen non video, cur rem, si tam simplex fuisset, tam obscuram et tam vix investigandam saepenumero affirmasset.

Sed quam nunc nos de Platonis materia quasi summam ponamus? Philosophum vereor nostrum, ut eo usque possimus laudare ac defendere, ut eum ex difficultatibus, quae ortae erant ex ea, quam de ideis et de materia posuerat, sententia, se plane extricasse et evolvisse dicamus. Nam vidimus quidem in omnibus iis, quae huc usque interpretari et conjungere conati sumus, quantopere Plato per totum hunc nostrum physicum articulum operam dederit, ut materiam omnibus iis, quae tribuerat ideis, id est substantia intelligibili, vera, aeterna expurgaret privaretque. Non enim corporearum rerum substratum facit, omni exuit qualitate tum sensibili, tum intelligibili, vim omnem et potentiam adimit, ut neque aliquid ex se procreandi habeat facultatem neque aliud extrinsecus ita in se accipiendi, ut revera aliquid fiat vel aliquam induat qualitatem positivam. Nihilominus tamen facit principium non cogitandi et cognoscendi solum, sed etiam essendi; non substantiam, non causam, ne formam quidem rerum naturalium facit, sed tamen conditionem, sine qua non ita, ut sunt, essent res sensibiles. Tale autem quid periculum quoddam inferre, ut ita dicam, ideis, Plato non facere poterat, quin sibi ipse confiteretur, quod cum in tota re tractanda tum imprimis,

ubi dicit, quomodo in animam nostram cadat materiae notitia, eum sensisse elucet. Sed, si totum systema adspicimus, Platonem egregium ingenii documentum hac etiam in doctrina, quae tam malam semper habuit apud viros doctos famam, edidisse apparet. Ideas enim, ut servaret eas veras substantias, transscendentes esse oportere Platoni constabat. Cum essent in se solis extra mundum, magnum illud oriebatur problema: unde mundus sensibilis? Nam, si id, quod est mundi vera substantia, extra mundum est, exponatur necesse est, qui fieri possit, ut nihilo secius sit mundi substantia. Hic maxima sita est difficultas. Causae enim fieri debere videntur ideae. Sed intelligibiles substantiae sunt, aeterna, immutabili, immota natura praeditae, quin immo ob id ipsum aeternae et immobiles et, ut ita dicam, mortuae sunt factae, ut a ratione possint intelligi. Substantialitas poscebat transscendentiam, nunc poscit transcendentia, ut substantia se ipsam immutet fiatque causa, vita, actus. Quod fieri non posse facile quisque intelligit: mundi sensibilis natura ei, qui ponit ideas Platonicas, ex ideis ipsis non est assequenda cogitatione. Sed extabat semel mundus, praesentes erant res sensibiles, natura undique circumdabat philosophum, nec voluit Plato, ut Eleatae fecerant, omnia γιγνόμενα negare et longe aberat, ut, quomodo recentiores quosdam philosophos fecisse videmus, sensibilium naturam mutabilem ex nostri intellectus natura duceret atque intelligeret. Quid igitur restabat? Nihil aliud, opinor, nisi quod fecit Plato in ea, quam tractavi, de materia doctrina, id est ut poneret quidem aliquod sensibilium rerum ab ideis natura plane diversum principium, id vero, quam negativum quamque non-ens et substantia privatum sit, demonstraret. Concessit igitur aliquid, sed quam minimum id fecit. Quod quam egregie mathematicarum rerum opera fecerit, ante ostendere conatus sum. „Dualismum" nihilominus quendam Platoni quin adjudicemus facere non poterimus, sed concedendum est et praeclare philosophum operam dedisse, ut nihil ideis, quae, ut ita dicam, majores natu ejus erant filiae, detraheret; eoque ipso, quod saepenumero in Timaeo affirmat veri similia, non δι' ἀκριβείας vera se tractare et proinde materiam hypothesin — ut

nostris temporibus voce utuntur — magis, quae dialectice cum rebus evidenter veris conformis sit reddenda, irrationale aliquid ex experientia receptum, quod ratione et philosophia sit vincendum ac quammaxime absorbendum, quam notionem vere philosophicam habitam vult, confessus est rei difficultatem obscuritatemque. Quod quidem nec non decet talem philosophum, neque ejus, qui tam aeterna ingenii monumenta exegerit, gloriam nostramque erga eum admirationem ullo modo potest minuere atque extenuare.

Cum vero irrationale — ut verbo barbarico sed notionem usitatissimam bene significante iterum utar — aliquid certe reliquerit atque ad id tollendum mathesin adsciverit, viam quasi ostendit, qua discipuli id est Academici antiquioris sectae profecti sunt. Sed neque de horum doctrinis, neque quomodo Plato ipse in scholis sententiam suam tradiderit, vel etiam expoliverit post Timaeum conscriptum, disserere proposui. Quare jam est finis imponendus tractatui, in quo, ut non nimis nihil praeter voluntatem laudandum sit, fore spero.

Vita.

Natus sum Felix Bobertag in vico regionis Lignicianae, cui nomen est Gross-Laeswitz, a. d. XIV. Cal. Jun. anni MDCCCXLI patre Carolo, verbi divini ministro, matre Selma e gente Gringmuth, quibus adhuc viventibus gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Postquam rudimenta litterarum a patre et scholae publicae, quae floret in patrio vico, magistro edoctus sum, mense Aprili anni MDCCCLV in tertium ordinem gymnasii Lignicensis florentis huc usque Eduardi Mülleri V. Ill. auspiciis receptus sum. Ibi quinque per annos litteris operam dedi, examine pro abitu superato Vratislaviam me contuli et a. d. XIV cal. Maj. anni MDCCCLX inter almae Viadrina cives a V. Ill. Friedlieb tunc fasces tenente ita sum receptus, ut ordini theologorum evangelicorum a V. Ill. Semisch, qui tunc decani munere fungebatur, adscriberer. Quatuor semestria cum in studiis theologicis et philosophicis essem versatus, inter semiuarii regii theologici evangelici sodales sum receptus. Ingenti cum ad philosophiam traherer impetu, id semper, quammaxime potui, appetivi, ut tum theologicis, tum philosophicis disciplinis me imbuerem, neutras negligerem. Auditor fui V. Ill. Boehmer, Branisz, Elvenich, Gaupp, Haase, Koestlin, Meuss, Raebiger. Semisch, Bernays, Oginski, Pfeiffer, Rhode, Schultz, quibus omnibus gratiam habeo, quam debeo, maximam; Praecipue vero, quod attinet ad philosophiam, V. Ill. Braniss, Elvenich, Oginski, qui, quanta tum in scholis, tum in disputationibus in me contulerint beneficia, vix queo dicere.

Theses.

1. Non temere Plato discere et meminisse idem esse dixit.

2. Plato nusquam in philosophia sua posuit deum, quem nos possimus personam vocare.

3. Platonis lectio nunquam a gymnasiis abesse debet.

4. Recte Peripatetici: quod prius sit natura, id esse posterius quoad nos.

5. Experientiam omnis scientiae fundamentum esse contendo.

6. Logice pars est psychologiae.

7. Spinoza cum res philosophicas more geometrico tractaret, non recte mihi videtur de philosophiae natura judicasse.

8. Non assentior Kantio, qui argumentum illud, quod dicitur, ontologicum prorsus inutile atque inane putat.

Libelli conspectus.

pag.

Prooemium 1

Caput primum. Introductio 4

Caput secundum. De materia „χώρα" in Timaeo vocata 14

Caput tertium. De materia quatenus sit mundi principium . . . 24

Caput quartum. De materiae notione, quomodo in intellectum cadat. 35

Caput quintum. De „ἀπείρῳ" quod occurrit in Philebo 41

Caput sextum. Summa 44